iam: Venit, & nunc eſt, adventat, appropinquat. Modò in mores harum Verſionum exponenda doctrina; ut virtutibus vigiles ſimus, horà præventà, cùm venerit hora.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. Excurſ.

1. *VEnit hora, & nunc eſt.* Virtus in cœlis ad plauſum glorificatur, atque corona iuxta merita conceditur: cæterùm necdùm omnibus expreſſa, quippequàm non venit hora. Ioanni meritis *hora venit, & nunc eſt*: etenim nunc, uti ſummè mirabiles, exponuntur fidelibus canonizatæ virtutes.

2. *Venit hora, & nunc eſt*, qua Ioannis gemina refulgeat crux; dum exultat in dolore, doletque ſimul in felicitate: igitur cùm de virtute in virtutem iret, ut ulteriùs fauſtè aſcenderet; in maiorem virtutis elevationem, ſuperimpoſuit cruci grandiorem crucem.

3. *Venit hora, & nunc eſt.* Formula animi tyranni & ſuperbi; dignitatis inſolenti poteſtate. Explicatur arrogantiæ electione nudum cor; quia *venit hora, & nunc eſt*: igitur poſt fortunam electionis, tota ſtolidi inſolentia in abuſum poteſtatis.

4. *Venit hora, & nunc eſt. Veniet hora, & nunc eſt.* Venit, quod veniet? Implicationem ſonat. Non eſt, ut tempeſtivè pœnitentia fiat: etenim ſi hora mortis expectatur, & tunc fletur; ut compungatur cor, *hora veniet, & nunc eſt*: hora nunc, quippe ad deploranda pœnitudine crimina; priuſquàm advenerit hora.

5. *Venit hora, & nunc eſt.* Per effectum auguſti Sacramenti, videtur in carniſprivio, horam veniſſe, & nunc eſſe. Illi quem illecebris mundus ſeduxit, quaſi hora non adveniſſet. Cui amoris adhæret vis, *hora venit, & nunc eſt*: igitur præſentia ſacræ inter mundi delicias, Euchariſtiæ; ne titillent affectum, evaneſcunt illecebræ.

6. *Venit hora, & nunc eſt.* Nunc mortis felicia tempora; ne ſit ſenſibilis; cùm venerit hora. Antequàm veniat, debet venire cogitationi, ne ægrè feratur venire: etenim inimica cogitata; ſi nunc, quæ ventura, venit, recipitur uti amica.

DIDASCALIA PRIMA.

Quàm mirificæ excellentiæ virtutum Ioannis à Cruce!

1 HUius ſingularis perfectionis cordi mancipato obſequio (quoniam non ſolùm ex illa conciliatur cultus, ſed admiratio) ubi adſcripta noteſcit in præſens albo Sanctorum, ſupervenit ad votum gaudium & plenum: igitur noſtri prorsùm plenitudo gaudij pectoris, dum Ioannis canonizata niteſcit in Eccleſia plenitudo perfectionis. *Virtus omnibus patet. Hoc virtutis eſt*: inquit Seneca, 3. *Benef.* cap. 18. Siccine modò perfectionis Ioannis plauſus; quoniam Eccleſiæ præconijs, eius virtus patet omnibus.

Senec.

Plauſus eius canonizationis.

Maior & utilior, facto coniuncta potenti.
Nihil latens virtus: quid enim ſummerſa tenebris,
Proderit? Longis illuc ambagibus itur.
Diſce orbis.

Claudiā. 4. Conſul. Honor. à v. 221.

Virtus in cœlis ad plauſum glorificatur, atque corona iuxta merita conceditur: cæterùm necdùm omnibus expreſſa, quippequàm non venit hora: Ioannis meritis *hora venit, & nunc eſt*: etenim nunc uti ſummè mirabiles, exponuntur fidelibus canonizatæ virtutes. *Nunc* rutilat corona aureā, & expreſſa ſigno ſanctitatis, gloriæ & honoris: igitur qui in cœlis meritis ſingularibus fulget, etiam in terris glorioſus apparet.

Ioann. 4. 23.

Immenſa gliſcit gloria,
Res, fama, laus, felicitas.

Crucius

2 Sanè meritis perilluſtris corona: verùm cognoſcenda merita. *Ioannes à Cruce*, deſignatur nota nominis. Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis, ut à cœlo cognoſceretur ex nomine, notā ſingulari gratiæ; cuius inſigne & pondus crucis, & pondus amoris. *Ioannes à Cruce.* Crux ſignum mortificationis eſt. *Ioannes gratia dicitur*: ait Vener. Beda in *Marc.* cap. 16. Si meritorum inquiritur ſpecimen, exprimit nomen: equidem plus effulſit culmen eius perfectionis in gratia crucis: eiuſque addidit ingenium pro charitatis ſingularis honore, in gratia crucis ſuſtinere crucem gratiæ. Hoc eſt Ioannes à Cruce: etenim ſi gratia illuminat, cruxque gravitate mortificat; ut canonizetur flamma vehementis amoris, & pondus huius admirabile crucis, in gratia crucis habet gaudiū & dulcedinem: in cruce gratiæ amariſſimū dolorem: etenim in cruce & amore quid non

Vener. Bed.

Quæ in illo gratia crucis, & crux gratiæ?

non eſſet ſingulare; ni pateretur ſponte amaritudinem gaudij, in crucis exultatione. Hic ſcopus Didaſcaliæ.

3 Huiuſmodi virtutum ſumma latebat nitide, in umbra vitæ ſplendentis, quaſi recluſis momentis gemmæ elatæ ac ſelectæ perfectionis; Ioanne obtinente atque continente gratiam, qua præventus ſummà dulcedine in gloriam. *In benedictionibus dulcedinis.* Potitus huiuſmodi optatà gloriā, extinctā mortali vitā. *Magna eſt gloria eius*; ut prædixit David: additque: *Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.* Si gloria & magna conceſſa ſupponitur; ex decore quodnā gloriæ magnitudine additur? Eius in mundo gloriæ cognitio, quæ patebat tantùm cœlo. In cœlo erat Ioannis honor, aberat honoris decor; quouſque fulgeret in terra, quo fungebatur in gloria: in huiuſmodique ſolemnitate plauſibili, gloriæ imponitur decor gloriæ; ut Ioannis virtutes celebrentur inter homines, mirantes eius inſignes præclariſſimas virtutes: quandoquidem dignum ſingularis admirationis; videre in cruce gratiæ excellentē gratiam crucis. In curſu feliciſſimo vitæ, Ioannes præventus dulcedine; ut gloriā frueretur continuata fruitione. Eſtne gloriæ maior amplitudo? Profectò, Canonizatio: ut mundus cognoſcat ſummam felicitatis, ex viſione beatifica divini Numinis: gloriæque imponitur gloria, quaſi gratiæ teſtimonium, & acceptionis in vita: equidem ſplendorē dicit eius egregiæ virtutis, decor canonizationis. Dum in cœlo Ioannes & glorioſiſſime ſic; *gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.* Eſt gloria, & gloriæ decor, ubi ſummæ felicitatis conceditur honor: at magnitudo huius optabilis felicitatis non in gloria collocatur, ſed in gloria decoris. Gloria erat, propter conſummatam gratiam nanciſci gloriam. Decor verò gloriæ, cognoſci in mundo, illuſtrari gloriā cœli: & huiuſmodi beatitudinis felicitati, additur magnitudo decoris gloriæ; quoniam in canonizatione per gloriæ hoſce admirabiles decores, cognita perfectè gloria, qua muneratæ virtutes.

Pſal. 20. 4.

Verſ. 6.

Quæ eius gloria & decor gloriæ?

4 Tota gloria (ut ait Regius Pſaltes) *In die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum. In ſplendoribus.* Summa perfectio virtutum, quæ quidem fulget ſplēdoribus Sanctorum. *In ſplendoribus.* Si eſt gloria gloriæ, congruit lux mirabili luci: igitur cum iret de virtute in virtutem, proceſſit virtus de claritate etiam in claritatem. *In ſplendoribus.* Eſt virtus ſplendoris, & ſimul ſplendor comes virtutis. Virtus ſplendoris, dum habetur: ſplendor virtutis, ubi cognoſcitur: & non ſolùm dicitur ſplendida virtus, ſed ſplendoris decus; quoniam rutilant magna momenta virtutum, præconizatā canonizatione Sanctorum. Vernaculè: *Manifeſtandoſe al mundo, logran mayor lucimiento.* Non *in ſplendore*, ſed *in ſplendoribus*: lumina luminibus: equidem beatificationis claritatem canonizatio extollit in ampliorem ſplendorem. In ſententia Angelici Doctoris; *Beatitudo eſt ſummum bonum in patria, virtus in via.* Adi de *Veritat.* quæſt. 12. 3. 15-2. *Diſt.* 1. q. 2. 3. & à lect. 9. in 4. *Dionyſ.* In utroque extremo ſignatur ſummum & felicitatis ſummæ; in cœlo ſcilicèt, & in terra. Totum in canonizatione continetur, totumque in cultum conſpicitur; ubi Eccleſia præſtat decori virtutem, atque virtuti decorem; minimèque deſignatur ſplendor, ſed cumulus ſplendorum, pro gloria præconizanda virtutum; ut conſtet quid habitum fauſtè in via, per quod habetur in patria: igitur ſi in patria beata viſio ſummum bonum; patet in via virtutem perveniſſe & uſque ad ſummum. Summum boni ex excellentia meriti, in manifeſtata canonizatione: etenim ut clareat decore virtus, ſplendet mirè ſplendoribus Sanctorum. Hæc fuit in vita N. Ioannis uberrima gratia; in morte gloria: & poſt mortem in Eccleſia militante canonizatio utriuſque; ut ſplendeat ulteriùs decor virtutis & gloriæ. Appoſitè ex Virgilio, 7. *Æneid.* v. 210.

Pſalm. 109. 3.

Eius virtus quàm eximia!

D. Tho.

Aurea nunc ſolio ſtellantis Regia cœli
Accipit, & numerū Divorū altaribus auget.

Virgil.

5 Subit mentem Petri ſententia, qua cœli definitur gloria, generi humano ſāguine Redemptoris acquiſita: igitur per gratiam feliciter deſtinata *in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis in vobis.* Videtur implicare Tò *In cœlis, In vobis.* Unde ergo quit eſſe in nobis, quod fulget tantùm in cœlis? Eſt gloria occulta, atque gloria revelata. Gloria in cœlo occulta, quoniā habetur; ſed à mundo nō percipitur. Gloria revelata; quippe in terra cognoſcitur, quæ cœli gloria: diciturque meditanter, In nobis, in cœlis; ut gloriæ effulgurent ſplendores, queis Ioannes fungitur decore virtutis: igitur canonizatione perfecta, videtur à nobis in mundo, quā habent gloriam eius virtutes in cœlo. Totum, ſubdit Petrus: *In laudem & gloriam & honorem in revelatione.* Claret, Sanctos propter beatitudinem, habere laudem, gloriam, & etiam honorem: ſed horum omnium & meritò connotatur revelatio; ut manifeſtetur Ioannis gloria tam in patria, quàm in terra. In pa-

1. Petr. 1. 4.

Quomodò nobis revelata?

Verſ. 7.

patria, ſummo bono ex claritate viſionis: in terra, ſummitate decoris eminentis virtutis: igitur iam dum canonizata virtus, oſtendit in terra beatitudinis decus: & iam videtur, dum plauditur fauſtè à nobis, gloria, laus, honos, queis Ioannes gaudet in cœlis. Deinde. Fax lucidior emicat ex contextu. Hæc potita gloria, & decoris magnitudo paratur profectò in cœlo, ut

Verſ. 5.

reveletur aliquando: ſcilicet, *paratam revelari in tempore noviſsimo*. Tunc gloriæ revelabitur ſplendor: at maior virtutibus Ioannis debetur honor; ni decurrat totum tempus, quin priùs reveletur cum gloria perfecta virtus: diciturque à Petro huiuſmodi gloriæ decore, in cœlo & ex cœlo fulgere præparatam revelari; quoniam propter magnitudinem virtutis Ioannis, eius gloria revelatur nobis, priuſquam adveniat noviſsimus dies. Clariùs: Poſt inceptam gloriam gloria claret: honor poſt honorem ſplendet; ut huiuſmodi ſpeciali prærogativà, virtutis Ioannis peremineat excellentia: igitur canonizatione, eius videtur in hoc tempore, quæ aliorum gloria noſcetur in fine mundi. Favet propoſito

Ubi ſupr

principalis Tautologia. *Venit hora, & nunc eſt*. Caietan. ut prælibavimus in *Litter*. n. 39.

Caiet.

Veniet hora, & nunc eſt. Gloria eſt Ioannis, quòd ſibi nunc ſit, quod alijs veniet: eius ſanè nunc videtur ſplendor decore gloriæ, quæ in alijs & alijs in noviſsimo tempore. Cœlum præſtabile lumen illi conceſsit (dicit aliò Martian. Capell, in *Nuptijs Mercurij & Philol.*)

Capell.

Ut conſpicuo decore fulgorem vinceret.

6 Sæpe pernox ac vigil Ioannes in oratione, ita ut manè habitus videretur coopertus nive: *quin* (addit Thereſia, in *Fundation*. cap. 14. n. 4.) *cognoſceret, nec ſentiret*. Quid mirum? Raptus in Empyrium, nec habebat ſenſum. Scrutemur in corpore, quaſi extra corpus miraculum. Quadam nocte Aſſertor N. cum tribus diſcipulis in

Luc. 9. 29. & 32

montem Thabor aſcendit; *ut oraret*. Illius comites monte enixim ſuperato, *gravati erant ſomno*. Minimè Ieſus quieſcit vel in ipſa quiete noctis. Hoc enim erat gratia pretioſiſsima crucis; de qua pòſt in converſatione eloquium, ſignans amoris exceſſum: equidem verè exceſſus vehementioris charitatis; quòd noctù incumberet ſtudijs ferventiſsimæ orationis, dum alij perfectiores in ſchola iacerent quietè dormientes. Ultrà procedit prodigium. *Cum oraret*, ſubditur;

Eius perfectio, in oratione vigilare tempore ſomni.

Matth. 17. 2.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Comitum oculos perſtrinxit tantus explendor, emittens radios: *& evigilantes viderunt maieſtatem eius*. Rara profectò illa maieſtas gloriæ; cùm ſine frigoris ſenſu, totum corpus eſſet coopertum nive. Illurè ſignatur decor ſingularis maieſtatis, propter fervidæ intenſionem orationis; dum radij luminis cordis illuſtrant decore vultum, quem ſplendidum viderunt etiam oculi dormientium: & inter tot mira magis plauſibile; quòd ipſa nocte interveniente oratione, vigilantes manè viderent corporis habitum, totum ex nive contextum. Speculum gloriæ noſtræ vocat Leo Papa (Homil. *de Transfigur*. cap. 3.) gloriam huiuſce Theatri. Speculum ſanè perſpicuum gratiæ crucis, ex cuius radijs ſplendeſcit gloria Ioannis: qui qua veſtitur nec ſentit habitum nivis, ex oratione propter igneas flammas cordis; dormientibus in ſenſum corporis ſenſibus, quippe à corde elevato totus motus: igitur cùm evigilarent (ſignato animæ immaculatæ candore, quæ è cœlo cadebat, nive) viderunt, quin perceptum eſſet ab illis, ſuſpenſione ſenſationis, habitum regularem oratione mutatum; quia ex nive è cœlo in ſtuporem confectum. Quieſcant in oratione ſenſus dormientes; *& Dominus faciet nives*. Signo cœlum animæ elevationem; Ioanniſque virtutem illuſtravit: nivique ut deſcenderet, præcepit, in oſtenſionem lucis à pectore fotæ, ex radijs Solis latentis in pectore: quandoquidem elevatio ſublimior mentis; ubi ſine ſenſibus corporis, corpus ingrederetur *theſauros nivis*. Concordant amicè externa & interna veſtis nivis & ignis Solis: ac in ſpecimen ſuperioris luminis,

Luc. 9. 32.

Leo Pap.

Ob orationis fervorem, non ſentit cadentē nivem.

Zachar. 10. 1.

Iob. 37. 6. & 38. 22.

Non vicit ingens candidas ignis nives.

Rab. Text.

7 Ioannes adinſtar Etnæ, nivem habitu oſtendit, & pectus ignem abſcondit; ut vel in ipſa nive color effulgeat pectoris flammæ. Dixi alibi ex præfato Textore, 7. *Officin*. cap. 48. *Apud Armenos rubentes quandoque viſuntur nives*. Mutatùſne in candore color optimus? Nullo modo. Mutatur in melius. Promit exceſſum color, & in exceſſu præſtabilior ſplendor: equidem charitatis cor plus validas manifeſtat ſagittas, ſi nives etiam convertuntur in flammas; ut emineat moribus animus, candidus & rubicundus, facies ex incenſo corde ſicut Sol, & habitus veſtimenta ſicut nix: etenim charitatis attingit extremum, ſi nives veſtis rubent colore flammarum. Siccine inſignia amoris & ſplendoris;

Idem.

Cur in eius oratione nix ſimul atque lux?

Laſſa fundere membra nives.

Claudiā.

Hæc utique mirabilia in Thabore, tanquàm ænigma & non obſcurum gloriæ magnifi-

cæ.

cæ. Habitavit tunc gloria in terra noſtra, quippe cœlum perſpicuius viſa terra. *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam* (ſubdit Petrus) *voce delapsà ad eum à magnifica gloria*. A cœlo quoque plauſum, quod tunc orbi manifeſtum: eſt gloria, & gloria magnifica. Gloria, dum felicitas cœleſtis continetur: magnifica, ubi honori coniungitur; ut honorem in terris etiam habeat, quem gloria in cœlis illuſtrat: & transfigurato Domino, gloria dicitur magnifica; quia honor gloriæ manifeſtus voce de cœlo delapſa: ita ut clareſceret mundo, quod plaudebatur in cœlo.

2. Petr. 1. 17.

Cur eius gloria magnifica?

8 Claret in Ioanne honoris atque gloriæ magnitudo; quia magnificavit Dominus facere cum eo. Accepit enim honorem & gloriam: dicimuſque in articulo gloriam magnificam; & iurè, è cœlo delapsà voce: gloriam, quoniam obtinuerat beatitudinem cœleſtem: honorem, quoniam habet gloriæ canonizationem: qua quidem nota virtus ex honore gloriæ in terris; quæ in cœlo magnificè plaudebatur ab Angelis. Huiuſmodi ſacer plauſus ſignum eluxet interioris gloriæ animæ. Quod internum, eſtò inſigne, caret manifeſtatione: & ubi ornatus ſplendore Solis, habitu nivis, Ioannes fervore orationis oſtenditur, gloriæ honore magnificatur; quoniam eminet gloriæ ſplendentis magnitudo, ubi voce delapſa canonizatur è cœlo. Perſcrutemur in honorem, gloriæ articulum, quem oſtendit apprimè orationis argumentum. Illo in ſenatu de gratia crucis interceſsit converſatio, quaſi de exceſſu; *quem completurus erat in Ieruſalem*. Iam enim innuitur exceſſus inchoatus, ſi dicitur *Completurus*. Unde exceſſus ex oratione manifeſtatur, & nec impletur? Quænam futura crucis gratia in oratione; ſi tantum opus dumtaxàt micabat ſignum principij? Quale decus in meditatam crucem, ſi tanta gloria gratiæ ſolummodò ſpecimen? In exceſſum dum incubuit, cœpit opus etiam quando conſummavit.

Unde Ioanni gloria & honor?

Luc. 9. 31.

9 Dicit ipſe, ut amor crucis ſplendeat. *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*. Finem denotat crucis, antequàm veniret finis? Næ, propter magnitudinem virtutis & perfectionis: etenim in crucis gratia, vel poſt exceſſum eſt ultrà: incipit uti ſpecimine gratiæ, quò finiunt cæteri. Anhelabat in exceſſum cor intra pectora toſtum: igitur cùm conſummaſſet, quod cœpit; ut exceſſum perficeret (perfectione virtutis, & amore perfectionis) poſt crucis nobilem meditatum exceſſum, aliquid gratia

Ioann. 17. 4.

Amori Chriſti videtur parvum, quod ſumum.

crucis meditatur conſummandum. Dialecto noſtrà vividiùs: *Aviendo acabado ſin la cruz con el amor de la cruz; juzgô ſu amor, que aun avia mas que hacer*. Haud quieſcebat ſpiritus pernix ad volatum in perfectione: elevationem altiorem ſolicitabat in perfectionis culmine. Adhuc perficere intendit, quod conſummavit. *Coarctor, uſque dum perficiatur*. Conſummatum, non perficitur. Inter catenas temporis, volat amor pennis ampliſsimæ libertatis: fecit quod perfecit, atque conſummatum faciet; quoniam dum plus & ulteriùs ſolicitatur in ſummo, in gratia crucis noteſcit operari cum exceſſu. Obſcurè videor procedere, dum ſtudeo huiuſce perfectionis claritati; & patere periodum tenebris implicationis, ubi Ioannes Salvatorem imitatur in gratia crucis. Quomodò crucis conſummatus exceſſus, quem in cruce completurus? Quomodò iam gratia crucis conſummatum, quùm nec haberet principium?

Luc. 12. 50.

10 Argumentum ſanè grave: verùm diluetur auctoritate Matthæi. Sequi Salvatorem & eius crucem, quidam ſatagebat ductus gratià; ut huiuſmodi gloria, felicitate fungeretur æternà: hicque ab Evangeliſta dicitur *Alius de diſcipulis eius*. In nodum incidimus. Sequi cupere itinera crucis, dicit ſolicitudinem in ſcholam Salvatoris. Si ab illo necdùm iter crucis carpitur; qua ergo lege diſcipulus Chriſti dicitur? An ex illis, qui in ſchola fovent gloriabundi relaxationem; in religione degentes quin tollant ſcholæ & Magiſtri crucem? Abſit. In littera antilogia exponitur per prolepſim: eſt ergo diſcipulus dictus, quia diſcipulus futurus. At inſtat periodi ſenſus. Quidùm diſcipulum Evangeliſta vocat; ſi in amplexum ſolicitatæ crucis, in ſchola Chriſti nec cœperat? Erat antequàm ingreſſus, quod diſcipulus futurus. Erat ſingularis perfectionis, priuſquàm ſequeretur gratiam crucis: diciturque diſcipulus cœleſtis ſcholæ, propter exceſſum conſummatum gratiæ: igitur gratiæ exceſſus, perfectaque virtus; quòd haberet diſcipulus crucem, priuſquàm eſſet ingreſſus arctæ crucis religionem. Diſcipulus exactè, qui non diſcipulus: fulſit ex tanta virtute decus: igitur impleverat ſtatus perfectionis exceſſum, nec dùm habens in perfectionem ſtatum.

Matth. 8. 21.

Vana quando de cruce gloriatio?

Prolepſis.

Virtutis cordis inſigne eſſe religioſū ante ſtatum.

11 Appoſitè quidem totus articulus cadit in Ioannem. Ferebat in ordine reformationis crucem, antequam ſciret Thereſiæ conceptam reformationem. Cognovit quid altius in gratia crucis, dum in illa mirabatur apicem perfectionis. Hæc illum invita-

bat

bat religionis reformatione, ut eſſet decor Carmeli. Ioannes aſſentitur, & Thereſiam æmulatur. Priuſquàm perficeretur reformationis methodus, Thereſiæ erat Ioannes corde diſcipulus. Adi in *Fundation.* cap. 3. n. 13. Diſcipulus reformationis, ante reformationis exordium: effulſit virtutis exceſſus, quod videbatur principium. Ducebatur à gratia crucis iuxta intenſas flammas pectoris. Iam reformatio habetur, quam necdùm profitebatur: virtute dicente exceſſus; quia ſtatus crucis iam florebat ante ſtatum. Conceperat Ioannes in Carmeli religione, comite virtute, in perfectionis cacumina aſcendere. Cor flagrans, gratiæ aviditas, vitæ aſperitas, cibi frugalitas, continua ſine intermiſsione oratio, abſtractio à calcato ſæculo, duxerant animum, ſpiritumque Ioannis in reformationis eminentiam. Iam huiuſmodi perfectionis obtinuerat gratiam: cæterùm ſatagebat gratiæ crucis ex culmine perfectionis. Cupiebat complere crucis exceſſum, iuxta ſtabile propoſitum: & tot virtutibus, Thereſiæ diſcipulus in reformatione dicitur; quia amplexus eſt inſtitutum, antequàm ingrederetur. Reſpondebat vita voto, priuſquàm eſſet inſtituta reformatio, cui inhiabat docta zelo Thereſia; ut hunc habilem diſcipulum haberet in ſchola: Ioanneſque regulæ arctioris primus conſtituitur diſcipulus, ut eius cordis ad crucem cognoſceretur exceſſus: igitur in ſchola Thereſiæ portavit crucem; quia profeſſus inſtitutum, ante reformationis profeſsionem. Parta eſt victoria inaudita per Thereſiam, ut in gratia crucis ampliorem Ioannes indipiſceretur gratiam: ſed labore & ſummo labore. Nihil novi: ſtudium huiuſmodi gratiæ etiam Salvatori ſtitit cruce.

Quare Ioannis virtus ſignatur virtutis exceſſus?

12 Patuit utique: propter ſtudium reformationis, detruſus eſt in anguſtias diri carceris: & quod gravius & moleſtius (ut lamentatur, pungiturque Thereſia, *Epiſt.* 30. n. 10.) quin virgo cœleſtis eiuſque magiſtra ſciret, vel quò, vel ubi iaceret. Pro eius libertate, tota pro viribus ſolicitudo Thereſiæ. Ibid. *Epiſt.* 22. n. 4. At quo planctu? Et illa & ille potiti voto. Verumenim verò quo prodigio? Propter reformationem antiquæ religionis (firmatam claris miraculis) & novi mirabilis perfectionem ſtatus, in arctam cuſtodiam incluſus eſt Simon Petrus: etenim nec ibi poſſet moveri, & quid faceret, poſſet ſciri; militum traditur ſocietati: non utique arriderent vincula reformationis; ſi viveret, uti milites. Vinctus tamen & manibus & compedibus, *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Dormiens*: Qui reformationis religionis ſatagit, vel inter catenas quieſcit. *Vinctus catenis duabus.* Ubi intenditur deformationi morum nitida forma; ſæpeſæpiùs duplicantur vincula: quin in ſæculo depravato obſervetur uti novitas; quòd reformationis zelus detrudatur in catenas. Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur: verùm in plauſum.

Thereſ.

Actor. 12.6.

Qui reformationi ſtudet, ſtudet perſecutioni.

13 Cùm ita viveret, imò ſic Petrus moreretur in ergaſtulo; oratio fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum pro eo: cœloque fletu moto, in ſignum innocentiæ Petri, atque præclaræ virtutis; per Angelum gratia fuit conceſſa libertatis. *Ceciderunt catenæ de manibus eius.* Quùm propter religionis perfectiorem ſtatum, à reluctantibus inijcitur vinculum; libertas planè difficile votum: etenim nex laboris conſummatio, ni auxilium veniat è cœlo. Ubi cum potentia valet prævaricationis error, cœleſtis neceſſaria potentia efficacitate maior: unde cùm vinctus, & malè habitus, inter catenas iaceret innocens Petrus, propter reformationem deformatorum; è vinculis egredi, præclariſsimum miraculum. Egreditur Petrus tandem: extra cuſtodiam ſeſe videt ſoſpitem: nec ſine vinculis, ſe reputat expeditum; quouſque exeuntes proceſſerunt vicum unum. Tunc Petrus *ad ſe reverſus* (quia inter vincula uſque in cœlum raptus, ubi ſine motu corpus) dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me.* Nunc verum, quod etiam liber arbitrabatur phantaſticum? Verum erat, verùm Petrus in fidem necdùm cognoverat. Cognovit, cœlum uti verum dicit, quod Petrus aſtruit: nec in prodigio facto fides tribuitur prodigio; quouſque miraculum factum confirmaretur à Petro: dicitque nunc ſcire verè, quicquid patratum in libertate; quippe quod verè factum conſtet de fide.

Verſ. 7.

Duntaxàt cœlum ſubvenire valet.

Ioannes incarceratur.

Verſ. 11.

14 Ex vinculis & libertate Petri, fulget gratia crucis Ioannis, in cauſa reformationis priſcæ venerandæ, ſed diſcinctæ religionis. In tetro carcere innocentià deponitur, vinculis adſtringitur. Siccine à Thereſia fletur: à toto cœlo eius lachrymis libertas è catenis imploratur. Cœlum aſſentitur votis: liber exit è carcere Ioannes. Verè libertas vincto miraculosè conceditur; ſed nunc verum verè ſcitur. Nonne pridem verum? Sanè. Verum erat: cæterùm Vicarius Petri necdùm ut verum firmaverat: & ſcitur verè modò, quia ab Eccleſia, libertatis decreta canonizatio: quandoquidem aſtruit atque firmat fides, quæ miracula exhibita erga libertatem Ioannis. Hæc gratia crucis eius, dum in inſtitutum perfectius, Fratribus exponitur eius virtus: & ut verbis utar Doctoris Gentium, Manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, *quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloriam.* Exponit Alapid. *Gentes* (infit hic) *rident in carne manifeſtatum quaſi ſtultum. Iudæi habent pro ſcandalo; ſed Spiritus Sanctus per rationes convenientiſsimas, per miracula, per tot chariſmata, per efficacem prædicationem, & ſanctitatem, zelum, ſapientiam, aliaſque dotes cœleſtes declaravit, & comprobavit hoc conſilium eſſe iuſtum, ſanctum, ſapiens, Deoque dignum.* Exitus acta probant, ut decreta à cœlo vel in carcere reſplendeant. Ille verè cunctis apparebat *Ioannes à Cruce*:

Liber exit.

1 Timot 3.16.

Alapid.

Zelus illius prævaluit.

——— *Tituli tangebatur amore,*
Quærendique illi nominis ardor erat.

Ovid. 1. *Triſt.* 1. v. 55.

DIDASCALIA II.

Mirabilis gratia S. Ioannis à Cruce, in cruce gratiæ.

1 DIverſa videtur, ſed eſt eadem prorsùm materia, qua Ioannis virtus floruit præcedente Didaſcalia. Ibi actum de Ioanne amaſio quæſitæ crucis: hic agendum de cruce inventa cupiditate Ioannis. Ingredi mœnia arctioris diſciplinæ deſiderat, licèt hoſtis muros habeat. Expugnavit, ſed non quievit; quippe dum invenit quietem, dulciorem habuit ſed diriorem crucem. *Nullum habent momentum* (inquit Senec. *Epiſt.* 66.) *vexatio, dolor, & quicquid aliud incommodi eſt: virtute enim obruitur. Sic dolores, moleſtias, iniurias virtus magnitudine ſua elidit, atque opprimit: & quocumque affulſit, quicquid ſine illa apparet, extinguitur. Virtus in alias atque alias qualitates convertitur, ad rerum quas actura eſt habitum figurata. Quicquid attingit, in ſimilitudinem ſui adducit.* Haud aliter Ioannis virtus, dum pro cruce flagrat pectus, & in alias atque alias qualitates convertitur, & habitu figuratur. Pro tempore huius crucis æſtuabat fervidum cor. *Venit hora & nunc eſt*: igitur præ crucis dilectione, tranſivit è gratia crucis ad crucem gratiæ.

Quæ Ioanni crux gratiæ?

Senec.

Ioan. 4. 23.

Crux addita cruci.

Souſa, 1 v. 526.

Quia altiores perquirebat gradus; cùm in ulteriora nõnumquam cuperet eſſe ambitiosè ac ſitibundè perfectus. *Nec ambitio tantùm inſtabilis eſt* (addit præfatus Stoicus, *Epiſt.* 73.) *verùm cupiditas omnis; quia incipit ſemper à fine.* Ita in Ioannis perfectione, à fine crucis incœpit ad crucem gratiæ; ut fieret virtutis canonizatio, eodem habitu & diverſo.

Quomodò incœpit à fine?

Senec.

Aſpice qui coëant populi, quæ mœnia clauſis
Ferrum acuant portis.

Virgil. 8 *Æneid.* v. 385.

2 *Gratia ſuper gratiam*: ait Siracides. Quænam ſuper gratiam gratia? Erit gloria, quæ in decorem fulget gratia conſummata: equidem ſi gratia explicat in vita virtutem, ut ſummum bonum; & in patria, gloria eſt ſummum (ut præmiſimus *Didaſc. præced.* n. 4.) ubi per canonizationem, adſcripti faſtis Sanctorum, Ioannis expanditur gloria; ſuper gratiam profectò lucebit gratia. Phraſis eſt Pauli. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Propter gratiam utique felicitas conceditur gloriæ; & modò Ioannis virtutum elucet canonizatio, in laudem gloriæ & præconium gratiæ ſuæ: etenim per præſentem gloriam habitæ gratiæ, vel in terris pondus cognoſcitur gloriæ. Crucis erat amaſius, mortificationis dirioris amicus; per quarum gratiam obtinuit in cœlo gloriam: modòque nomen eius numero Divorum additur; ut eius crucis gloria ſignanter manifeſtetur: igitur virtute eximià, cruciſque cognità glorià, plus gratiæ Ioannis effulſerunt excellentiæ; quippe ſuſtinuit crucem in cruce gratiæ.

Eccli. 26.19.

Epheſ. 1.6.

Super gratiam gratia, quòd eius in terris clareſcat gloria.

3 Patuit in canonizatione manifeſtationis hora: cæterùm quænam hæc gratia, & gratiæ crux; quam vix diſtinguit vel illuſtratione mens? Diffinit Doctrix Thereſia, ipſeque Ioannes diſcipulus in *Nocte obſcura.* Hæccine in gratia crux eſt, ubi vita mortua in morte vivà; quin veniat optata mors; cùm nihil optetur plus: oriente morte ex mortis anxietate, procul facultate moriendi; ubi quia non mors & mortis amaritudines, acriores dolores mortis. Anima diſcerpitur in oſtentatione gaudij, quod dolens habet in dulcedine pœnæ; quin removeri cupiat ab huiuſmodi mortis acerbitate, ut poſsit dulciter vità mori, & mortis cruciatu vivere. In haccine mirabili cruce, quandiù anima ſaucia vivit; dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet. Eſt martyrium, verùm

Quæ paſſus in cruce gratiæ?

tùm ſuave: eſt vulnus, ſed appetibile; quia pungitur, dum ſanatur; & ſimul medicamine percutitur.

Sil. Ital. 1. à v. 170.

Lucentes vulnere flammæ:
Læta ruunt, tormentaque portant.
Superat, ridetque dolores,
Dominique crucem clamore repoſcit,
Geminato vulnere pectus.

Vide dicta, *Tom.* 5. *T.* 3. *D.* 4. quæ quidem cuncta ex Diva Thereſia, ut habentur in eius mirabili *vit.* cap. 16. 20. & 29. In *Manſion. Sextis*, cap. 8. & 11. hic Roxas, tot. *Repreſentat.* 11. & ipſe Ioannes à Cruce, ubi dudùm, in *Flamma viva Amor.* v. 3. & *Cantic.* in fin. *lib.* 2. Haud aliter Ioannes cruciabatur in delicijs, lætabundus præ dulcedinis tormentis; quin vel in Deo vellet aliquid præter eum, in vita percupiens mori; ut in morte poſsit vivere.

2. Cor. 15. 31.

4 Perpende certamina, & in arena quanta & qualis Pauli pugna. *Quotidiè morior.* Quotidiè, quod ſemel accidit? Haud mors denuò, modò ſemel accidiſſet. Quomodò igitur Paulus quolibet temporis inſtanti moritur, dum quotidiè mori fatur? Unde moritur, ſi vitam ſignat prompta loquela? Moritur vità. Vita ex propria vitalitate haudquaquàm vivebat Paulus; quia in illo vivebat Chriſtus: & ſuſpirijs atque votis charitatis, quotidiè patiebatur angores mortis: morſque ſine morte prævalet; quia mori vult, ſed non valet. Exardeſcit cor amore Dilecti, cupitque diſſolvi, gaudijſque frui, moriendi deſiderio; verùm cum vita, relinquitur ſine gaudio: morique quolibet momento dicitur; ſiquidem in vita moritur, quippe non moritur. Videtur cupienti amanti, per mortis pœnam, poſſe doloribus lætum, tranſire citiùs in gloriam: igitur uti pœnæ mortis gravant; ſed quia ſunt mortis, delectant. Vividiùs apud Noſtrates: *Aunque padece el alma penas de muerte, ſe muere por eſtas penas.* Perit cruciatus, queis perire cupit; & perit, quippe non perit. Iuxtà crebris angoribus micat æterna gloria; & anima diſcerpitur, quippe iuxtà. Cogitat ingredi, ut viſis propè fruatur; cæterùm vità repellitur. Invitant finito tempore thronus & thalamus, deliciarum paradiſus; verùm extenditur tempus. Videt fide, quod deſiderat ſpecie. Claritatem intuetur, ſed non clarè. Gaudet & dolet, quia non gaudet uti vellet. Non ſatiatur, quamvis bibit. O quantum onus huiuſmodi crucis in cruce gratiæ, volatibus ſic ſine ullo motu manere! Totum miniſtratur à gratia unionis, à qua pendet amaritudo dulcedinis. Iſtud gaudium totum acerrima crux:

Amor Pauli in Chriſtū quantus & qualis?

unde cùm vivere ſic, ſit halitu viva mors; vel cū dulcedine vitæ, aſſerit Doctor Gentium, quotidiè mori: expirare quo reſpirat: mortem uſque gravari, quo vitam lactat: igitur huiuſmodi gloria ſine gloria; in ipſa vita profectò mors quotidiana: qui optat, & gloriæ ſpecimine perfungitur ſine ſpecie; moritur ſanè quotidiè.

5 Occurit in vera virtutis ſcena Mileſia dulciter fabula de angore Tantali ſitibundi & eſurientis, cum haberet etiā Deorum menſas coram oculis. *Cernebat enim* (ait Athenæus *lib.* 7. n. 7. ex quo Gundiſalv. de Salas in *Satyric. Petron. Carm.* 9.) *unde edendum & vivendum eſſet, ſed edere & bibere non poterat. Voluptati admodùm dedito, cùm poſteà in Deorum conſpectum perveniſſet, Iupiterque optionem ei dediſſet petendi quicquid vellet, poſtulaſſetque ut iugiter inter epulas Deorum vivere poſſet; conceſsit: cæterùm videre tantùm, ne frueretur appoſitis; unde mœſtus & anxius ſemper eſſet, quia quæ admota, capere non valeret.* Videſis Homerum *Odyſſ.* 11. à v. 577. Ciceron. 5. *Tuſcul. qq.* Cornel. Gallum, *Eleg.* 1. à v. 17. Horatium, 1. *Satyr.* 1. à v. 68. alioſque plures, apud Natal. Comit. 6. *Mytholog.* cap. 18. Elucet in cruce Ioannis, quodnam acrius tormentum in ſuavioribus gratiæ delicijs. Quid crux in animæ famelicæ & ſitibundæ gravamen; dum ipſa gaudia convertuntur in crucem?

Fabula Tantali.

Athen.

Mantuā. Vat.

—— *Experiri licet,*
Poſsit quid vivida virtus.

6 Illuſtratur Ioannes è cœlò ſublimioribus gratijs, perfruens favore & honore ſingulari Numinis, viſionibus intellectualibus æternæ gloriæ excitantibus famen & ſitim animæ, præ lumine infuſo, atque ſupernaturali beatitudinis præparatæ cognitione. Felicitatem dignatus honore videt, atque verſari inter epulas avet. Adeſſe petit, ne deſiderijs ex felicitate pereat. Gratia cōceditur, ſed dumtaxàt ut gaudens & dolens epulas videat, minimè ut inter convivas ſedeat. Hoc gaudium?

Auſon. Edyl. 19 v. 25.

Crux pœna extremum.

Crux huiuſmodi egregia gratia, & crux extrema: equidem ſitiēti intimè grave; aquam coram oculis habere, atque ſiti perire: ad manum ſummæ ſuavitatis menſa, verùm ad guſtum & palatum fugere poma: invitari in cœleſte, & deſiderare prādium; viſoque cibo remanere ieiunum; dum votum impellitur in voluptatis dulcedinem, cibo dumtaxàt in urentem famem. Vel potus, adhuc ſitiret (quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ) quid gutturi ſine potu, quippe non ſaturatur

Quæ mors vitalis in Ioanne?

tur oculus viſu? Viget refrigerij deſiderium, accurritque cervus ad fontes aquarum: reperit, ſed nimis ſitit in animæ ignitæ cruciamen, ſiquidem in aviditatem vehementiorem; refugit unda ſitim.

Qui ſupr.

Unda fugit, medijs ſtat ſitibundus in aquis:
Quærit aquas in aquis, & poma fugentia captat.

Exponitur in delicijs ſpecies gloriæ; animaque angitur, quia dumtaxàt in ſpecie. Apparet, ſed ad fruitionem fugit: cruxque iurè dicitur gratiæ, quippe animæ æſtuanti ſummo ſubtili dolori; tunc delicijs poſſe abundè potiri, & tunc potiri non poſſe. Animus cùpido legit omnia viſu, ſed ex viſis vulnus animo, quo vivens moritur, & vulnere vulneratur. Eſtò invictum pectus,

Oth. Væn. Embl. 70.

Iugiter ferit, facitque ex vulnere vulnus.

Quotidie mente illuminatà aſpectat, & quotidiè vità expirat; quoniam validus ictus præ morte; cibum potumque cœleſtem coram oculis habere, & ſimul cum illis ſiti fameque in ipſa vita perire.

7 Hoc acre tormentum inſtitutum Damocli, quod quidem paſſum à Ioanne. *Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores* (ſubdit Cicero, d.) *menſæ conquiſitiſsimis epulis conſtruebantur. Fortunatus ſibi videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetà adpenſum, ut impenderet illius beati cervicibus. Ita nec manum porrigebat in menſam.* Horat. 3. *Od.* 1. v. 17.

Cicer.

Horat.

Diſtrictus enſis cervici pendet.

Laurent Hæcht.

Ab Hæchtano *Embl.* 29. dicitur aptiùs *Pendulus enſis. Enſis*, quia mortis ictus: *Pendulus*, quippe ſuſpenſus. Hæc Ioannis anxietas, & pro cibo cupiditati expoſito maior calamitas. Haud propter gladium à menſa retrahebat manum; ſed quia in mortem videbat ictum ſuſpenſum; cùm poſſet ictu mortis & enſis, appoſitis potiri delicijs: igitur cùm cuperet anxiè, mediâ morte convivijs adeſſe, & ſtaret præ filo pendulæ vitæ; mortis ſentiebat præ doloribus ſpeciem, ipſius mortis ſuſpenſionem. Morte enim corporis liberaretur à corpore mortis, quam præ mortis dolore, patiebatur quotidiè: quandoquidem ſi vità impediebatur, ne cœleſti convivio potiretur; quippe non mors, moriebatur, cùm tot delicias altiſsima cognitione videret, atque morte ſuſpenſà, perfrui delicijs nequiret. Languebat vulneratus amore: quotidièque moritur, quia non moritur ex vulnere.

Quàm gravis animæ pœna!

Cantic. 2. 5.

8 Ex huius amoris validiſsima plaga, dicebat Ioannes, de quo ſaucia corditùs proferebat Sponſa. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo. Stipate me ſagittis*: legit Cœl. Gregor. in *Pier. Valer.* lib. 54. cap. 2. *Sautiata charitate ego ſum*: vertitur à Septuagint. Quorsùm tela, poſt tot ab amore accepta vulnera? Vulnera erant, ſed non vulnera lethalia: & amoris fortior vis, ſi fuerit fortis ut mors. Signat ſagittis ſagittas, ut valeat vulnere charitas, & medeatur amori, cuius vulneribus non medetur, niſi acriorum ſagittarum medicamine: mortis neceſſarius ictus, in ſaucium & languens pectus, renuens vitalia tela, quia vita carere vità: doloremque ſuavem inquirit, dum vitæ tædet; ne moriatur, quia non moritur: igitur mortis ſine morte vehementior ictus, eò quòd amore languens, non moriatur tot vulneribus. Fructus Ioannes in amore quærebat, & dumtaxàt amorem ſolicitabat; quippe iſthis charitatis uberrimis fructibus, ſtipabatur anima & coronabatur floribus: quos quidem ſine morte decerpere nequibat, ubi vita florebat: in vitam ambitur mors, ad quam per gratiam diſponitur vitæ crux; in illaque moritur, quoniam amor crucifigit; ſic manendo, donec venerit: Ioanneſque expectat, ut in morte ex floribus fructus carpat: equidem ſi in terram granum ceciderit; non ſolùm fructum, verùm fructum multum affert. Cæterùm quorsùm ſolicitudo Ioannis? Tot chariſmatibus necdùm certus amoris. Ignoratne gratiam divino amore conceſſam? Nonne videt in cœlis paratam lauream? Utique: penetrantius cordi vulnus, quia non lethale: morientique amore propter Sponſum; in honore quid honoris? Quid gloriæ in gloria? Vel in cœlo, quanti cœlum?

Cœl. Greg.

Moritur, quippe non moritur.

Cuius amoris fornax.

Pſalm. 72. 24.

9 Fornax amoris Davidis incenſa pectore Ioannis. Numini dixit: *Cum gloria ſuſcepiſti me.* Attamen ut ignis mei amoris nutriatur flamma; quid cum huiuſmodi etiam cœleſti gloria? Hac enim glorià non ſatiatur anima, quantumvis poſſeſſa in terra. *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram?* Propter te vel in terra terram deſerui; verùm de terra quid mihi? Ne huiuſmodi elevatio, quia verſus cœlum, ut eveherer ad Empyrium? Ibi multa ſunt, ſed quid? Magna felicitas, maior dignatio: ſed quid enim mihi in cœlo? In cœlo pretioſum & ſummum eſt: mihi autem quid? Prævidere in raptu, qualis futura gloria; nonne gratia ſummà æſtimatione digna? Communicari eſtaticè torrentem voluptatis, quippini munus glorificationis? Pignus namque claret gloriæ: ſit, verùm gloriæ huius vitæ: & dum complacet illa, amori eximio non complacet; quippe dumta-

Verſ. 25.

taxàt mori pro gloria cenſet. Sine Deo nihil eſt, etiam totum, quod continet terra & cœlum. A te ſanè bonum eſt: in bono, præter te, quid? igitur vel in gloria ſautium intenſo vulnere cor, nil percupit præter te. Objectum amoris tu. Gloria quid? Vel gloria nihili ſit, quamvis amor cuncta faciat tantum propter gloriam Dei. Nec in terra, nec in cœlo invenit requiem, qui ſolidè inquirit amorem: igitur vel dum gloriæ conceditur felicisſimus honor; dumtaxàt felix propter amorem amor. Alios pondus inclinaret gloriæ: etiam in cœlo quid mihi? Eſt cœlum, in quo ſedem habes, atque dilectis concedis. Quid mihi perculſo atque vulnerato amore? Etſi totum plenum gaudium; mihi tamen quaſi non eſſet cœlum: etenim cordis æſtuantis exceſsivè tota vis, te dumtaxàt diligere & propter te.

In amore, tantum dilexit amare.

10 Hoc ſpeculum amoris Ioannis, & crucis amoris, eius ſagittas ſentientis, ut revaleret ſagittis.

Souſ d. v. 691.

Crux humeros infeſta gravat, ſed victus amore,
Ducitur: ingeminat planctus, ciet æthera clamor.

Vita eius haud aliter fuit, quàm præſtans ac præſens mors: martyrium doloribus ſuave per ſpatia afflictæ vitæ. Glorià elevabatur in æthera; ſed amore ducebatur, & non gloria. Cùm duceret charitatis magnitudo, quid illi in terra, aut in cœlo? Totum in Deum pectoris incendium: nihil in univerſo diligebat præter illum: equidem cùm eminenter ordinaſſet charitatem, amoris ignem nutrivit propter amorem. In duplici articulo Moyſis ſplendent radij claritatis Ioannis. Finem inſtare vitæ, illi dicitur à Domino: & ut reciperet fatale nuncium cum gaudio; indulget terram promiſsionis de longè videre, quin poſſet ingredi. *Aſcendit Moyſes in verticem Phaſga, oſtenditque ei Dominus omnem terram* ... *Dixitque Dominus: Hæc eſt terra. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam: mortuuſque eſt ibi Moyſes.* Terra promiſsionis gloriæ cœleſtis eſt ſymbolum; quippequàm terra viventium. Moyſes moritur, quoniam promiſsionis terram vidit: Ioannes videt, & non moritur. Ut quid igitur ex viſione exponitur in exemplum Moyſis mors; ſi Ioannes mortuus gloriæ viſione non eſt? In expreſsionem gloriæ Ioannis, atque dulciſsimæ crucis: igitur delicias gloriæ videbat; verùm ingredi non poterat: parque cenſetur huiuſmodi viſio morti; quia mors vitalis, ingredi poſſe, & non ingredi. Per mortem datur ingreſſus, ſed in vita terræ promiſsionis viſus: Ioanneſque vivendo deficit; quia non moritur, & vidit: igitur cùm eſſet ad oſtium, ut felix ingrederetur; mortuus, quia non moriebatur. Tolleretur mortis dolor ipsà morte, ne vita exiſteret obex æternæ felicitati; qua fungi poterat, ſicut à longè aviditate viderat. Si eſt ſuavis ex morte pœna media qua cernitur gloria; gravisſimus dolor eſt mors in vita, quia non mors: igitur acerbitatis extremum, intrò non progredi; cùm ſtaret ad oſtium. Dialecto vulgari: *Dolor es el morir, por no morir; quando eſtaba para entrar. Vidiſti, & non tranſibis ad illam.* Singularia ſanè amoris officia, in eadem utriuſque diverſa flammarum cauſa. Moyſes non ingreditur, quia moritur. Ioannes verò moritur, quia non ingreditur: moritur quidem viſa terrà, ſine morte; quia voluit, verùm non potuit intrare. Ioannem pondus gloriæ viſæ trahebat: totum cœlum ſplendoribus ad ſe vocabat. Proh dolor, & mortis angor! Vita comite reſpondere non poterat.

Eius dulce martyrium.

Deuter. 34. à 1.

In gloria crux, videre, ſed non potiri.

11 Ampliora in commendationem obſervanda. Ante præſentem huius viſionis articulum, cùm Numinis gratià eximia fide potitur; ab illo petijt, ut videri dignaretur. *Si inveni gratiam, oſtende mihi faciem tuam.* Quodnam ergo tunc Domini faventis ſtudium erga ſignanter dilectum? *Inveniſti gratiam coram me. Videbis poſteriora mea.* Ambroſ. in *Pſalm.* 43. 24. *Gloriam paſsionis.* Anton. Ferdinand. *Viſion.* 7. *Sacr. Scriptur.* ſect. 3. *Crucem.* Quid ſignatius in cauſam noſtram? Crucem, gloriam & gratiam? Utique, ut pateret, quid Ioannes paſſus in cruce gratiæ, cùm intrare voluiſſet in terram promiſſam gloriæ, & per intenſum cordis amorem, videre Domini faciem: etenim cùm gratia amantem deducat, & gloria alliciat viſione, beatitudinis futura prorsùm ſpecie; dolor, eſtò dulcis eſt, atque dirisſima crux, videre & manere ſic: maximè oſtio patulo ad introitum, quin poſsit triſtis introrsùm movere greſſum. Ex cruce efformantur pennæ, queis anima favore gratiæ, ita amore levatur in culmen gloriæ; quæ cor rapit, ubi etiam ænigmaticè videtur: at obtinetur minimè, ni qui viderit, moriatur. Viſam vita cupit, ſed ingredi nequit: dolorque cenſetur mortis, intenſione cruciaminis; ſic videre, & ſic vel volando ſtare: ſiquidem conſpectà glorià, non ingredi; in cruce gratiæ eſt tantùm manere in cruce.

Exod. 33. 13.

Verſ. 17 & 23.

Ambroſ. Ant. Ferd.

Quomodò ab amore formatæ huiuſmodi crux?

12 Ulteriùs, in propoſiti fulcrum. Aſſertio ſcitur per divinum oraculum. Gloriam videre, Moyſes percupit; cui Dominus

nus

Verſ. 20

nus reſpondet: *Non videbit me homo, & vivet.* Impendio vitæ obtinetur viſio gloriæ. Vitale amittere halitum, eſt præ dolore crucis extremum; licet ſummè voluptuoſum, in cruce gratiæ amittere vitam propter ingreſſum in gloriam. Ut poſsit videri, neceſſarium ſanè mori. Moritur, qui in illam ingreditur, moritur. Gratia ex crucis ingenio in Ioanne conſtruxit crucem, ampliorem charitatem exprimentem: igitur conſtruit pro cruce. Ioannem quin moriatur, mori, ut poſsit in gloriam ingredi. Petit profectò, mortis non videns in votum gloriæ periculum; quia deperibat ingreſſum. Vigilantiùs æquivocà voce vernaculà: *Mirar la gloria era cruz, muriendoſe ſin morir; pues ſe muere por entrar.*

Unde gloria, Ioanni pœna?

Souſ. d. v. 923.

—— Subit ille dolores,
Et ſæva tormenta crucis, quæ ſumma tuliſti.

Hæret Thereſiæ veſtigijs, primus in eius reformationis ſcholis. *Pretioſum monile, diveſque ſupellex* apellatur à Thereſia; *Epiſt.* 3. n. 10. Sancta pro Sancto laborat: virtutum eminentiam auctoritate confirmat: primuſque in reformationis ſchola cognoſcitur; quippe ab illa eius amor præ cunctis plauditur.

Thereſ.

13 In Salvatoris ſchola Superior uti primus, propter ſtudiam & amoris eminentiam, conſtituitur Petrus. Voluit Cœleſtis Magiſter ſcire, quid in ſchola didiciſſet, facto examine, & excitatà quæſtione, materiæ de Trinitate; in qua ſuperiore ſubtiliſsimà mente, propoſitionem aſtruxit, & propugnavit; quam mundus nec dùm cognoverat, nec audiverat: ſed ita validè aſſertum à priori defendit; ut extunc concluſio eſſet articulus fidei. Illum ſtatim Rector beatificavit, primique Doctoris gradum libenter conceſsit: *Beatus es Simon.* Primus eris vertexque Apoſtolici collegij, in reformatione meditata mundi, cuius obtinebis principatum; quia *tibi dabo claves regni cœlorum.* Pende, *Dabo.* Cur non modò? Etſi fulget beatificationis decor, reſtat adhuc Canonizationis honor; ad cuius honorem, aliud debet præcedere examen: ideſt de amoris eminentiore forma, ſi primum factum de ſcientia; licèt infuſa revelatione divinà. *Revelavit Pater meus, qui in cœlis eſt.* Unde excitatà de amore quæſtione, Petrum interrogavit: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Non inquiritur, quod ſupponitur, de amore; ſed de amoris magnitudine. Munus Primatus illi iudicium concedet, qui de amore plus ſciverit. Hoſt eſt verè ſcire, etiam viſà examinatoris glorificatione: etenim poſt tot novas glorias, quas Salvator pepererat ſibi per crucem; non glorias diligebat, ſed Salvatorem. *Amo te.* Nota pridem ſanè, huiuſmodi ſcientia Petri. Cur igitur modò ex lectione in examine amoris, illi primatus conceditur dignitatis? *Paſce oves meas?* Sanè ſcientia conſtabat; verùm novum examen manifeſtat. Paſtor cunctorum aderat, qui novo examine ſcientiam denuò conſiderat: modòque confert collegij ex primatu regimen, honorem & dignitatem; ut effulgeat ſtabile iudicium actibus poſitivis meritorum: igitur ſi cathedra conferenda ſuperiori amori; in eius examine, ex glorioſo actu, ex preſenti articulo, per iudicium ſummi Pontificis, atque ſupremi Paſtoris, amor Petri canonizatur exceſsivus, intenſus, ſuperior cæteris. Primus collegij & primus in religione; haud quippe dilexit cor; ſed quia in amore plus his.

Matth. 16. 17.

Verſ. 19

Quale examen amoris?

Verſ. 17

Ioann. 21. 15.

Ibid.

Verſ. 18

Amor Petri eximius.

14 Appoſitiùs in propoſitum. Dignitas in Petri gloriam confertur; ſed crux etiam in gratiæ eminentiam præſignatur, ut veſtigia Salvatoris ſequeretur. *Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Ad gratiam & gloriam virtutis obtinuit perfectionem; verùm per crucem: qua quidem ſacra functione non dicitur glorificandus, ſed Deum glorificaturus; ut amoris flagrantis cordis emineret excellentia, excitatà ad Numen ſuperiori flammà: glorificatur, ut glorificet: non ſibi in gloria ſed Numinis gloriam quærit: igitur quicquid gloriæ in cruce gratiæ, tantùm in gloriam Dilecti. In gloriam gratia crucis conceditur Ioanni, primò Doctore in ſchola Thereſiæ. Iam eius ſcientia cœleſtis claruerat in ſucceſsivis lectionibus perfectionis, in quas perduxit & impendit totum ſtudium ætatis, ſummitate virtutis; & cuius officium nonnumquàm in ſuperiorem ſtatum. Iam Thereſia præbuerat teſtimonium. Iam plauſus uti beatus: & modò præſtantiore cultu gloriæ Sanctorum adſcriptus; quippe in cruce gratiæ clarificatus, etiam clarificaturus. Quid ſi primus in religionis reformatione, & dignitate inſtituti? Secutus eſt Myſticæ Thereſiæ ſcholam, &

Verſ. 19

Unde?

Ioannes in reformatione primus.

Nudam traxerunt diſcalceatam vitam:

Ut dicam ex Lycophrone in *Caſſandra*, v. 635.

Lycophron.

15 En Ioannes in cruce glorioſa gratiæ, conſtitutus pro dignitate primus atque Princeps in amore, reformatione antiquæ per illuſtris religionis, huiuſmodi gloria crucis. Multi congregaverunt divitias: hic reformationis multiplicavit glorias: &

Pri-

primus eſt, quippe dilexit plus his. Iam beatus, ſed maius reſtabat decus: nimirùm, quod eius flagrans dilectio canonizaretur maior, & à Pontifice Summo: eius enim virtute crucis, uſque in culmen perfectionis paſcuntur oves. Accidit in huiuſmodi articulo, quod olim de cœlo Salvatori N.

Unde denuò clarificatus?

Ioan. 12.28.

Venit ergo vox de cœlo: & clarificavi, & iterùm clarificabo. Ut virtus conſtet mundo, fit vox de cœlo, & ad claritatem amplioris ſplendoris, voci ſuæ dedit vocem virtutis: Ioanneſque à Cruce beatificatione clarificatur; ut canonizatione iterùm clarificetur. Clarificatur Ioannes à Pontifice Summo: venit ergo vox de cœlo.

Crucius

Ille ſuæ imperio, quæ vult, facit omnia vocis.

16 In duplici Didaſcalia adimplevi, quæ de Ioanne promiſi tam de gratia crucis ſuæ, quàm de cruce gratiæ. Totum mirum, & in illo à Domino factum. Verùm quomodo? Indicatur expreſsè à Vate ſacro:

Zachar. 4.7.

In quo Ioannis gratia gratiæ?

Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius. Patuit, vaticiniumque modò acclamatione reſplendet; ubi in excelſa virtute ecſtatici Ioannis, eduxit Dominus lapidem primarium reformationis, adæquans gratiam gratiæ, & totum ex cruce: igitur Ioannis vita, crux perpetua excellentià eminentis charitatis, iugo ſenſuum potentiarumque arctæ mortificationis, cœleſtis amoris radijs;

Ven. Beda.

ut cœleſtium magnitudini atteſtaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus oſtenſa: & nova facerent qui nova prædicarent: ait Venerab. Beda in *Marc.* cap. 16. Nova profectò, inventa ab amoris ſtudio, ſubtilitate ingenij, tam in gratia crucis, quàm in cruce gratiæ. Tunc labor, nunc decus, decor & duplex honor.

Ovid.

—— *Lætus erat, miſtoque oneri, gaudebat honore:*
Nuncque ab honore iam ſeparatur onus.

DIDASCALIA III.

Intolerabilis perſecutio poteſtatis, iure furoris.

1 MAximè, ſi tyrannis prorsùm impunis; igitur nec cognoſcitur facies iuris vel legis, ſed in tripudium phantaſiæ,

Cyprian

gloria dementiæ: uti dicit Cyprian. de *Spectacul.* Cùm ex dementia oſtentationem maieſtatis exornent; cogitant etiam delirare, ni delirent: ſibique gratulantur de ampliori gloria, ubi maior riſibilis deteſtanda deſipientia: & claret abſque ullo mentis iudicio, correptos à malo genio; cum quo in ſignum neceſſitudinis, deguſtarunt modium ſalis: igitur claret per opus, quo arreptitij furenter, abſolutè ſine obice dominantur: à quo pædagogo formulas regiminis acceperunt.

Temeritas inſolentis, attoniti.

Floridè in rem, expoſitâ Herodis tyrannide, furoris emblemate, Chryſolog. ſerm. 152.

Chryſolog.

Rector populi (inſit) *morum cuſtos; diſciplinæ cenſor, iuſtitiæ indagator, æquitatis defenſor, ſervator innocentiæ, ampliator populi, innocentis cauſam facit innocentium crimen. Quibus actus nullus eſt, unde culpa?*

Illi deſipientia pro gloria.

Eſt furoris maieſtatis gloria, quæ quidem minimè rutilaret ſine dementia: tota enim moles ſingularis ſplendoris ab externatione mentis: quæ in munere ſublimiore excitant potentiæ impotenter liberiorem phreneſim; conciliant magis ac magis muneris auctoritatem. Precarium ſiquidem munus & futilis iuris; ni ius & fas ad lubitum dominantis: quippe non potentis in poteſtate æſtimabile opus; homo dignus indignè ſub miſera poteſtate conſtitutus: equidem præpoſterè nominabitur dignitas, ſi legibus abrogetur à poteſtate libertas. Maieſtatis verè ſolium, voluntatis & voluptatis prolubium.

Senec. Hercul. furent. à v. 250.

——— *Proſperum ac felix ſcelus*
Virtus vocatur. Sontibus parent boni:
Ius eſt in armis, opprimit leges timor.

Idem. *Furiæ cum Fortuna.*

Unde idem, *Epiſt.* 47. ſubdit: *Superbiſſimi, crudeliſſimi & contumelioſiſſimi.* Indigent elleboro; ſed gaudent, quia Furiæ in Iovis throno, quarum potentia & præſentia ſemper adoratur cum Fortuna. Adi *Pauſan.* can. 61. & quæ præmiſimus *Tautolog.* 2. n. 18. Haudquaquàm foverent Furias ſine iudicio; ni Fortuna inſolenter, impotens mentis, collocaſſet in ſolio: cùm enim vacuum ſit cranium;

Ovi. 5 Triſt. 8. v. 47.

Non metuunt leges, ſed cedit viribus æquum:
Victaque pugnaci iura ſub enſe iacent.

Qua de cauſa Pallades in *Florileg. Græc.* lib. 1. cap. 12. *Anthollog.* 6. accinit:

Pallad.

Melius eſt, Fortunam vel opprimentem perferre,
Quàm potentum inſolentiam & ſupercilium.

Floret ſanè gaudibundus adeſpotus, ſed honoris & ſubditorum onus; qui proſperatur fanaticè in regimine tyrannus: & profectò hominem extrà, quoniam vult ultrà. Extra hominem, dum affectat uti propriam alienam divinitatem.

Vi-

2 Videtur modò ut maieſtatis formula, Caligulæ Imperatoris inſania, & adiatrepſia; ſomniantis Principum exceſsiſſe faſtigium, cum Dijs occupantis divinitatis thronum; & Numinis auctoritate,

Sueton.

Omnia ſibi licere: de quo Sueton. in eo, *cap.* 22. & 29. Huiuſmodi divinitatis decus ambivit uſque ad inſaniam recalvaſter Domitianus.

Quanta ex poteſtate arrogantia!

Cùm formulas procuratoribus daret; ſiccine ſine capite capita decretorum conſtituit: *Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet.* Ita apud eundem in eo, *cap.* 13. Ridet Martialis etiam ſub ſpecie adulationis, *lib.* 5. *Epigram.* 8.

Martial

Edictum Domini Deique noſtri,
Et iactat tumido ſuperbus ore.

Seſe audaces faſtigio culminis, arbitrantur non ſolùm præpotentes, ſed omnipotentes, plaudendos humanos Ioves, & ſpectabiliore celſitudine; quia nacti in humanitate.

Iuvenal

——— *Nihil enim, quod credere de ſe*
Non poſsit, cùm laudatur Dijs æqua poteſtas.

Ut carpit excuſatione ironicà, ex devorato aulicorum blandimine, Iuvenalis, *Satyr.* 4. v. 70. Quodam enim modo debebat fieri curatio, præſentior & præſtabilior elleboro: nimirùm, ſi huiuſmodi vento plenos utres ſcommata pungerent, ut ſeorſicè cavillis extumeſcerent.

Cerebrū vanitate plenum, vacuum

Unde Seneca de his ſtolidis, 2. *Benef.* cap. 25. dicit:

Senec.

Inſanire omnes ſtultos dicimus; nec tamen omnes curamus elleboro. Oportet pungi, ut mens ingrediatur, exeunte aëre: cerebrumque ſit plenum, quod plenitudine vacuum: equidem ſi cuncta cadunt ad votum; uti ex flagitijs impunes (obſervat Boetius, 1. de *Conſolat. Philoſoph.* Metr. 4. v. 11.

Boet.

Sine viribus poteſtate furentes.

3 Perſcrutemur horum ſtolidorum in regimine illuviem, vel dum in amicos exerceant inopinam tempeſtatem, unde Satyr. d. v. 74.

Iuvenal

In quorum facie miſeræ magnæque perſedet
Pallor amicitiæ.

Qui dignitate tumet, amicum nec cognoſcit

Vel in amico pallor, ubi fido datur honor: igitur dum amicitiæ acceſsit dignitatis potentia, ſatius planè, eſſe in caula, quam in aula. Neminem noſcunt in ſede maieſtatis, ſed ſe potentes: cùm honorem uti iugum accipiant, ait Gregor. Magn. lib 20. in *Iob*, cap. 29.

Greg. Magn.

Ut mentem ſub iugo diſciplinæ teneant; & numquàm ex poteſtatis licentia ad impatientiam erumpant. At dicunt, vel cùm à fortuna in præceps electio fit; inſolentiæ atque furoris

Ioan. 4. 23.

venit hora, & nunc eſt. Si non modò, quando? Nunc eſt: at non erit, ſi non nunc. Venit hora, pridem cordis obvoluta ſuperbia: nunc iam opportunum tempus, ut explicetur ex tot ſinibus animus. Patet ſine hypocriſi nudum ſine velamine cor. *Venit hora & nunc eſt*: etenim poſt fortunam electionis, tota inſolentia in abuſum poteſtatis.

Ezech. 7. à 10.

4 *Ecce dies, ecce venit, egreſſa eſt contritio* (ait Dominus per Ezechielem) *floruit virga, germinavit ſuperbia. Iniquitas ſurrexit in virga impietatis.* Deſcribitur lamentabilis Reipublica ex dominantis faſtoſa potentia: & pro extremo calamitatis, quòd in cordis mœſtitiam veniſſet dies. *Egreſſa eſt contritio.* Sanctius:

Sanct.

Egreſſa eſt corona: ecce faſtus auctoritatis inſignia: igitur quæ corona in Principis auctoritatem; egreditur in miſeram ſubditorum contritionem. *Floruit virga.* Idem ibid. n. 15. *Floruit flagellum.* Elucet contritio, quod eligitur plauſu: virgaque dicitur florere, ut tyrannus demonſtretur in regimine: igitur ſi in illo florente invenitur virga tantùm; floret profectò in flagellum, exercitium ſubditorum.

Cor Superioris tumidū eſt flagellū ſubditorum.

Floruit virga, germinavit ſuperbia. Patet origo faſtus in indotatis ex inflatione muneris, cùm nec ſint dotes; quas quidem ſi haberent, nullo modo in faſtigio ſuperbirent: virgæque floribus germinat luxurioſè ſuperbia; quia ſuperbia nutritur, quoniam poſsidetur virga: etenim dumtaxàt inſulis habetur regimen, in arrogantiæ florentis oſtentationem. Quid ſi contritio ex huiuſmodi faſtu? Quid ſi nullâ maieſtas maieſtatis in throno, ſed dumtaxàt crudele flagellum? quandoquidem totius congregationis exterminium; quòd in munere ſolidus eſſet, quòd germinaret, quòd floreret, cùm iacere debuiſſet, poſsitis flagitijs pro meritis in dedecus dignitatis: igitur germinavit poteſtatis tradita virga, ut floribus arrogantiæ polleret in dignitate ſuperbia.

Maximè, ſi floreant vitia.

5 Dicit merito contextus. *Iniquitas ſurrexit in virga impietatis.* Perperam, ſi virga iniquitatis, quæ debet eſſe virga directionis: equidem vitia amplectentur, quæ faciliùs corda fragilia ſequuntur; ſi iniquitas faſtoſo ſervit ut ſurgat, quæ debet impellere ut è cacumine cadat. Si ſurgit iniquitas, in virga impietatis erit tota maieſtas. Quod fecit faciet, ut optet (cùm munerentur ſcelera, & floreant iniquitates, ac expellantur à dignitate virtutes) igitur nequaquàm elevatus in culmen relinquet vitium, cui in ulteriora aſcendat, debet aſcenſus.

Pſal. 93. 10.

Sedes iniqui-

Amos 6. 3.

quitatis, dicitur à David. *Solium iniquitatis*; ab Amos. En iniquitas & impietas ex qua virgæ florentis procax auctoritas: modò igitur habeat ſedem, quid quòd per iniquitatem? Quid quòd per vitium, ſi obtinetur ſoliũ? Manil. 4. *Aſtronom.* cap. 1. à v. 24.

Et fiunt merita.

Quantum eſt hoc regnum, quod regibus
imperat ipſis?

Manil.

Quin etiam infelix virtus, & noxia felix:
Et malè conſultis pretium eſt, prudentia
fallax.
Nec fortuna probat cauſas, ſequiturque
merentes,
Sed vaga per cunctos nullo diſcrimine
fertur.

Hinc virga iniquitatis, ut ſurgat, ornatur floribus criminis: equidem cùm flagitijs invenerit, & ad ampliorem aſpiret honorem; arma aſſueta iniquitati ſumit & ad iniquitatem: ex his quippe queis cadere debent attolluntur & criſtæ. Hebr. *Iniquitas ſurrexit in virgam iniquitatis.* Virga directionis eſt iuxta legis præſcripta: virga iniquitatis iuxta furoris vota. Illa moderatione iuris regit & regitur: hæc omninò illex tyrannicè dominatur; quippe illi fax ius non eſt.

Hebr.

Ovid. 6. *Metam.* fab. 7.

Nihil eſt quod non effreno captus amore,
Auſit: nec capiunt incluſas pectore flammas:
Agit ſua vota ſub illa.

Ut canit Ovid. & Senec. 1. de *Clement.* cap. 26. *Terribiles facies, publici metus, omnia mœſta, turbida & confuſa: voluptates ipſæ timentur.* Si quæritur cauſa phreneſis; *Fiducia ſacroſanctæ poteſtatis*, ſignatur à Valer. Maxim. *lib.* 5. *cap.* 5. n. 4. Hæc merita in faſtum, & cacumen honoris: iniquitaſque ſurgit in virgam iniquitatis; quoniam virgà nactà, ad crimen, ampliorem habet fiducià poteſtatis extenſionem: igitur ſceleribus, iniurijs, vexationibus avidè munus ſolicitat; ut in furorem ſeſe diſſolutus habeat: ægrè enim fert legibus ſervitutẽ, virgaque cupit omnimodam libertatem: ſimul etiam virgà prævalet iniquitas, quoniam erumpit in audaciam malè diſpenſata libertas.

Senec.

Valer. Maxim.

Audaciâ criminis fiduciâ venerandæ poteſtatis.

Unde procul tergo metus, & eſt via prona
nocendi.

Stat. 1. *Theb.* v. 557.

6 In & ex factionibus nonnunquàm pravus affectus, furibundaque Bellona, ut leges conticeſcant inter iurgia, & dominetur potentia. Fugit poſt conſulatum, perſequente Pompeio, Siciliam Carbo. Ibi nobiles exules, qui Syllanam proſcriptionem evaſiſſent, contrariæ factionis ſuperſtites. Ibi pervenit Pompeius ſequẽs commoda cũ Magni nominis umbra; ut qui iugum fugerant indigniſsimæ, proiectæ ſervitutis; obumbraret, vel terreret umbra nominis. *Ingreſſus Pompeius* (inquit in eo Plutarch.) *humanum ſeſe omnibus, niſi Meſſanenſibus præbuit. His tribunal eius & iuriſdictionem recuſantibus; quòd antiquà lege Romani id fieri prohibuiſſent: Nunquàmne ipſi, inquit, nobis gladijs ſuccinctis, leges recitare deſinetis?* Furori leges? Furor eſt. Sine viribus non vis. Exulat iuris forma, ſi ius potentia: etenim cedendum iure; ubi ius, dumtaxat velle. *Nec reſiſtere quidem licet* (præmittit Stoicus, *Epiſt.* 8.) *cum cœpit tranſverſos agere felicitas.* Iconographiam tẽpli miſit Adrianus ad architectum peritum: quem eò quòd in Imperatoris cogitationibus aliqua vitia notaſſet, interfici iuſsit. In furioſo Principe nec errores notandi. Conſilia peritiæ prava, etſi dixerit ruina bona conſilia. Eo in tempore Favorinus Philoſophus de bono carmine ab Adriano reprehenſus, tacuit: & interrogatus cur inſolentiæ imperantis acquieſceret; inquit: *Illum doctiorem ſe putavit, qui ad manum triginta legiones haberet.* Adi Philip. Briet. *Ann. Chriſt.* 131. Stultitia defenditur ab inſolentia; ſapientiaque cedit, quoniam illa poteſtate valet. Velle ſufficitur pro lege, auctoritate fortunæ: florentque dominantis inſomnia, quia quò magis furioſus,

Plutarc.

Ius improborũ, potentia.

Senec.

Briet.

Felix in culpa.

Ovid. Epiſt. 16. v. 50.

Hiſpanicè: *Inſolente con deſcaro ſe atreve à mayor desliz; porque todo en todo le ſale bien.*

7 Sit exemplar afflictionis, & arcanæ in illa divinæ providentiæ, qui extitit vel erga iuſtos uti typus Anti-Chriſti. Totum viſum in Antiocho. Quanta malignatus eſt inimicus in Sancto! *Faciet* (præcinitur à Daniele) *iuxta voluntatem ſuam: & elevabitur, & magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum Deorum loquetur magnifica; & dirigetur*: ideſt, *Proſperabitur.* Cuncta cadent ad votum, felicemque habebunt exitum. Conſule Hieronym. *Epiphanes*, hoc eſt, Illuſtris, dictus, dum ſuſtinuit principatus; ut ex huiuſmodi gloria, conſtaret quomodò acceperit adulationibus aulæ: igitur frequenter in principatu ſordidè vilis, qui per principatum nominatur Illuſtris. Qui uti Illuſtris Epiphanes, *Epimanes* irridetur, impos mentis, plenuſque furoris: etenim dumtaxàt furore correptus, & à Furijs agitatus, videns ſe miſerum & miſerabilem, ſeſe valebat cogitare Numen: ex quà cogitatione inſolẽti flatu procaci arrogantiæ, prodeunt tot monſtra ſcelerum in regimine: quandoquidem quid niſi monſtra; dum dominantes ſeſe gerunt in decretis tamquàm Numina? Opus aſtruit pra-

Daniel. 11. 36.

Sæpè indignus ex munere inflatus.

pravitatem iudicij, furioſà temeritate. Iuris par erat, in regimen reſpicere forman; ſed ille fecit iuxta voluntatem ſuam: igitur præceps, cæca regentis temeritas, quandiù lex eius voluntas, torquentis indita præcepta iuris, ad lubitum virulentæ voluntatis. Hos haud facile converti, vel ſi cognoſcant arctè ſupprimi ab errore: tùm quia viget ex lege contrarià furor: tùm quia in Numine non cognoſcitur error. Iccircò ſubditur: *Elevabitur.* Demonſtrat ſine diſsimulatione phrenitidem; igitur ex ignominia conciliant elevationem: elevatio utique ſplendoris dignitatis, ubi etiam honor concipitur ex delirijs.

Fomes vanitatis ex delirijs.

8 *Cùm vitium virtus creditur, ſine metu culpa cumulatur*: inquit Gregorius, p. 3. *Paſtoral. Admonit.* 17. Hinc vel confuſione ſine fronte, non confunditur; ſed pòſt elevatione, crimine *magnificabitur.* Culpa cumulatur & extollitur: vitium quaſi virtutem amplectitur: nec amandat errorem, quippe arbitratur, throni extendi magnitudinem. Gradatim in vitia procedens, in deteriora ruit. Cùm in profundum venerit peccatorum contemnit. Pertuſum eſt cerebrum. *Elevabitur & magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum Deorum.* Satis haud gloriatur cor, ni ponant etiam in cœlum os ſuum: & ut ſuccinit Boëtius d. *lib.* 3. *Metr.* 10. à v. 10.

Gr. Mag

Vivit in throno pravus, quaſi nõ eſſet Deus.

—— Magiſque cæci
In ſuas condunt animos tenebras.
Hoc quicquid placet, excitatque mentes
Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor quo regitur, vigetque cœlum,
Vitat obſcuras animæ ruinas.
Hanc quiſquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

Boet.

In quæ non ducet blandientis fortunæ faſtus, atque divinitatis phantaſticus fucus? In ipſum Deum elevatur, atque magnificatur inſolenter arrogantia; dum flagitia vel horrida cogitantes & vendentes mirabilia: quippequàm ubi vitium plauſum celebratur ut virtus; vivunt in throno quaſi non eſſet Deus. Siccine in mundo (ut canit Mellius Souſa, lib. 7. v. 563.) divinitatem maieſtate conciliant,

Et crimine crimina acervant.

Mell. Souſ.

9 Originem perſcrutemur arrogantiæ & procacis inſolentiæ. *Faciet iuxta voluntatem ſuam: loquetur magnifica & dirigetur.* Ex abundantia cordis os loquitur. Cum mente & cor inſenſatum, quoniam traditi in reprobum ſenſum; quin caveat lingua proferre, quod tantùm ſervit horrori: igitur quod propudium cordatorum, extollunt uti magnificum. *Loquetur magnifica*: ideſt, *Blaſphemias*: Sanctius hic. Prurigo animi genijque dignitate inſolentis, impulſu præcipitis poteſtatis, & violentia undique oppreſſæ rationis: equidem ſubditi turpi ſervitute laudant, vel dum potentes ſupremum Numen blaſphemant; quin aliquid enorme relinquatur, quod in abuſum poteſtatis non terminetur: etenim cùm cuncta poſsint impunè exitu felicitatis; repagula frangunt humani & divini iuris. Faciunt iuxta voluntatem ſuam & diriguntur. Proſperantur.

Naſcitur ex impunitate typho ſuperbia.

Res ſecundæ non habent unquàm modum.

Sen. Oed. v. 694.

Horror criminis cupiditatem arcet, ſupplicium pravitatem comprimit, ne voluntati arrideat, de quo doleat: at cùm habeant felicem exitum, ex queis habere debent ſupplicium; voluntatem propriam conſtituunt legem; quoniam per ipſa flagitia obtinent proſperitatem. Munera virtutis occupant cogitationes ſceleris, quaſi præmia facinoris, cùm deberent ſequi à tergo calamitates, atque fugere felicitas, unde principatur nefas. Crimen à faſtu muneris incipit, ad votum proſperè cadit; quà periculum iuvat, eò ducere oportet: nec in periculo periculum ullum: igitur cùm fortuna ſecunda non habeat modum; conſtruunt illam ex demeritis, quia ex eis non ſolùm exeunt impunes ſed & felices: imò numquàm reſipiſcunt cognoſcentes errorem, quoniam ex illis carpunt tranquillam felicitatem. Voluntas prava, ſed dirigetur: peſsima, ſed proſperabitur. Arrideat fulcro poteſtatis vel turpe nefas; quippe numquàm à voto eſt fraudata voluntas.

Floret iniquitas ubi floret is comes proſperitas.

Improbitas ipſos audet tentare parentes:
Tanta in muneribus fiducia.

Iuven. d. 10. verſ. 306.

10 In exigua exponitur tentatio. Ultrà procedit erroris fiducia, ultrà infatuationis audacia. Iudicio Dei ſatagebat ſacer Vates peccatores compeſcere; quippe horrendum incidere in manus Domini. Quilibet vel non peccator tribunal iurè formidat. Quid ergo felicitate potentes? *Ubi eſt verbum Domini? Veniat.* Patet ſumma improbitatis, ex ignorantia ſine pœnitentia criminis: igitur duritia cordis ita pectus proiectum, ut tot flagitijs nec Dei formident iudicium. Aliquid dignum obſervatione latet, quod Gregorius Magnus iudicio diſcutit. *Nullus dolor mentis in actione præcipitationis*: infit 1. in *Iob*, cap. 10. Arbitrantur ineptè fieri, quo poſsit iuſtificatio; etiam ſi homo componatur Deo. Semel placita æterna, quia ſemel placita, conditione dæmonum, deſertionem ex pertinacia auctorantium. Quò magis tyranni in regimine,

Ierem. 17. 15.

Dei non timetur iudicium.

Gr. Mag

Numini arbitrantur magis obſequi. Capitones in delirijs, ut protegantur errores, nec videantur poſſe errare, quorum voluntas pro lege, in actione præcipitationis; in qua non aliud niſi phreneſis: illoſque ita infatuat faſtu dignitatis furor; ut non ſolùm non cognoſcatur error, ſed quòd ut virtus patebit ex diſcuſsione, etiam in Numinis tribunali. Iuſtus pro divino iudicio clamat? *Ubi eſt? Veniat.* Ubi Dei timor? Totum erroribus furor: equidem iudicium Dei deſiderant, dum in plura magis peccant; quoniam quæ in dignitate ſcelera accepta ab animo, cenſent non aliter fore divino iudicio: & conſcientià cauteriatà gloriantur de fœditate vitiorum, quaſi de nimia pulchritudine virtutum. Vernaculè clariùs. *Quanto mas diſparan, les parece que aciertan: y como en la dignidad aplauden el phreneſì; les parece, que lo miſmo ha de ſer en el tribunal de Dios. Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis uſque ad profundum inferni demergit*: inquit cap. 7. *Regul. Sanct.* Benedictus Pater & Legifer noſter. Quod volunt improbi; ſanctum, quia volunt. *Omnia ſibi putant licere. Hæc audacia ex parte culpæ*: infit Marc. Senec. *Controver.* 11. Siccine arrogantia ex poteſtate cogitat. Hinc ne tremit, quod iudicium Domini veniat: ex quo conſtat, quàm perverſum, durum ac deteſtabile cor; cuius audaciam nec compeſcit tremendum iudicium Dei.

Imò in illo ſcelera quaſi virtutes iuſtificàta.

S.Bened

M. Sen.

11 Quid ſiquis obſit faſtui, vel ſomniatur poſſe obeſſe? *Qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis*: monet David. Metonymia eſt: frequenter qui ſe elevant, ſubditos vel morigeros exaſperant: etenim ita arrogantià premunt, atque tyrannicè embolijs affligunt; ut nullam umquam adipiſcantur requiem, uſque in exacerbationem: qua quidem moventes in impatientiam: anſam ſolicitant in coloratam vindictam: quo colore vel defectus præbeant aliquot, vel leviſsimas cauſas. Unde Arator, 1.v.344.

Pl. 65. 7

Metonymia.

Ut quid ſubditos exaſperavit?

Arator.

Materiemque operis ſola eſt largita voluntas.

Intelligitur modò difficilè teſtimonium, ut clareat furor ex faſtu inſolenti, temerario dignitatum. Hinc Nemeſis, quæ Vindicta nominata, eadem apud Ethnicos cum Minerva ex cerebro Iovis nata. Conſule Natal. Comit. 5. *Mytholog.* cap. 5. & *lib.* 9. cap. 19. Quæ appellatur *Sapientia*, introducitur *Vindicta*; quæ quidem filia furoris, quoniam dumtaxàt è vacuo cerebro dominantis: & peperit ictu uti Bellonam orbi, quia bellatrix cogitatio ſedit capiti, ſine capitis ludio: quippequàm tantùm in pugnam imprægnavit cogitatio. Subtiliùs dialecto noſtra: *Porque à Jupiter ſe le puſo en la cabeba.* Dicit Terent. in *Heautontim.* Act. 3. ſcen. 1. v. 72.

Cur Nemeſis vocata Minerva?

Quodcumque inciderit in mentem, valet: neque id
Putat pravum, an rectum ſit.

Terent.

12 Audiatur Regius Pſaltes, qui probus pertulit furorem impotentem Saulis. *Ira* (inquit) *in indignatione eius, & vita* (Genebr. *Favor*) *in voluntate eius.* En dominantis inſolenter tyrannis, atque plenum pectus turbulentià indignationis. Verùm unde? An quia totum à voluntate potentiæ? Totum, & totaliter. Ira cum cauſa, iuſtiſsima ira. Indignatio propter crimen in errantem non eſt crimen; quoniam ſanat delinquentem per probam increpationem: & ubi nullus error, Superioris ira eſt tyrannicus furor; quoniam nec exceſſus in inferiore videtur, & Superior iraſcitur, quippe iraſcitur: etenim ſine cauſa, cauſa iræ non eſt in crimine, ſed tantùm in Superioris indignatione. Succenſet ex his quæ à phantaſia ſuggeruntur, & ab obio aut faſtidio bili inſtabili cogitantur, conceptà in capite matrice imaginatione: indignationique tantùm tribuitur ira; quia exardeſcit, & lymphaticè iraſcitur ſine cauſa. Idem accidit in extremo contrario, quandiù ducitur affectu approbatione iniquitatis, oſſor virtutis. Debet damnari ſceleſtus, cæterùm ab illo fautus; quippe blandimine, flagitiorum conſors, ſalvandus poteſtate, morti damnatus à lege. Hic etiam elucet ex auctoritate furor, quoniam indigno miniſtratur favor, licèt ſit improbus: vitaque, lege damnati, eſt in voluntate eius; quia licèt in favorem & gratiam reclamet ad cœlum lex; poteſtate maieſtatis ſalvabitur, quippe vult. Quid quod vigeat & floreat iniquè nefas, ſi dominanti extra legem eſt pro ratione voluntas?

Pſ. 29. 6

Cauſa ab irà ſine cauſa.

Et pro ratione prava voluntas.

13 Lectio Hebraica vigilanter demonſtrat abſolutam poteſtatem, & ſuperbæ iactantiæ tumentis diſſolutionem. Pro *Ira* reddit: *Momentum in indignatione & favore gratiæ.* Si momentum iræ in divinæ ultionis opus; ſenſus legitimus: etenim momentum in brevi ira eius: verùm in dominantis temeritate; alluditur ad momentum ſtateræ, quod movetur hinc & hinc, & ſeſe continuò inclinat ex hoc in hoc: & cùm in deliro dominante ſit huiuſmodi verſatio; decreta favoris & iræ conferuntur examuſsim ſtateræ momento: quoniam pro lubito in probos ira exardeſcens fulminatur; atque gratia cum favore in ſceleſtos confertur. Hinc appoſitè additur: *Ad veſperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.* Pectus ictum punctione phantaſiæ, pondere imaginationis, ſtateræ momentum etiam in momento fit. Cor illorum vanum eſt: & ſe movet huicinde, illinc & hac, prout ducit ventus: quippe pondus furoris non habet pondus: & prout ſtimulat rabies, in ſtatera capitis etiam dabit pondus ventis: quo, gravi levitate, momentum cerebri conſtat nullius momenti. Mutatur in horas, quod prudentiæ affectatæ atque iocoſæ maieſtas. Modò in gratiam, modò in iram: modò in gaudium, modò in fletum. Hoc iudicij momentum per momenta, illusa ex inſolentia phantaſià, quæ feſtivè ſurgit, vel iracundè cadit; prout placet aut diſplicet. Manil. 4. *Aſtronom.* cap. 1. v. 187.

Hebr.

Ibid.

Mutantur affectus in horas.

Ingenium ad ſubitas iras, facileſque receſſus
Æquale & puero. Inveniunt prælia.

Manil.

14 Meritò præfatus Rhetor, *Controv.* 9. infit: *Accipe vitæ meæ teſtem.* Quid magni æſtimas, cui placere difficile eſt? Hæc affectus viciſsitudo irriſa in ſtolido Imperatore Claudio. *Nec ſemper* (refert Sueton. in eo, à *cap.* 14.) *præſcripta legum ſecutus, duritiam, lenitatemve. In cognoſcendo autem & decernendo, mirà varietate animi fuit. Modò circumſpectus & ſagax: modò inconſultus ac præceps: nonnumquàm frivolus amentique ſimilis.* Quare iſta? Ut ex varietate non cognoſcantur odia, nectentibus quæſtiones vaferrimas, ut lateat patens iniquitas. Pudet, ſed procacitas prævalet. *Nova ſupplicia* (ſubdit Stoicus, 1. de *Clemen.* cap. 25.) *conquirit, ingenium advocat, inſtrumenta excogitat; per quæ varietur atque extendatur dolor, & delectetur in malis. Tunc dirus animi morbus ad inſaniam pervenit ultimam; cùm crudelitas verſa eſt in voluptatem.* Sic aſtus: & ita ingenioſè ſagax, ne pectoris micet dolus; ut adinſtar ſepiæ aquam veritatis denigrent, & perfodiat in lethum occultus gladius. *Inſtar teuthidum gladium habetis*: dixit vafris amicis Themiſtocles, apud Plutarch. in eo. Conditio deſcribitur à Naſone in *Halieutic.* à v. 19.

M. Sen.

Sueton.

Senec.

Arrogantiæ cor tui, vindictæ ſcopus.

Plutarc.

Sepia tarda fugæ, tenui cùm fortè ſub unda
Deprehenſa eſt, iamiamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor, nigrum vomit illa cruorem,
Avertitque vices, oculos fruſtrata ſequentes.

Ovid.

Unde Maiolus Tom. 1. *Colloq.* 9. *Utitur ſepia attramento, ut homo vafer nigredine veritatem aſpergit: cùm enim convinci ſe animadvertit; nugas, nebulas ac tenebras offundit.* Aquà clarà ſæpiæ gladius occultatur, ut accedens nihil incommodi ſuſpicetur: ipſa turbat & ſuperficiem & fundum; ut dato tempore poſsit educere gladium. Haud aliter malevoli, ne vincantur convicti; igitur gladium exerunt vel leviſsima occaſione.

Maiol.

Cor adinſtar ſepiæ

15 *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Iſidor. Clarius ſingulariter legit: *Rex ligatus crinibus.* Regia videtur poteſtas, verùm crinibus ligata, ut cognoſcatur in potentatu inſolentià: quandoquidem pravus in meditatam ultionem, rabie percitus, furens apprehendet crinem. Hiſpanicè: *Tanto lleva la paſſion à un vengativo, que ſe aſirà de un cavello.* Purpura ligata crinibus. Purpurà ſignatur ſanguis, quippe in apprehenſa crudelis. Adi Pier. Valerian. *lib.* 28. à *cap.* 69. Crines capitis dicuntur cogitationes: nectunturque cum purpura crines, in expreſſionem extremæ potentis crudelitatis: igitur uſque in ſanguinolentiam invehitur animus, ubi proprijs furioſè cogitationibus. *Purpura Regis iuncta canalibus.* Ghiſler. *Fluentis lachrymarum.* Totum ſcaturigine vagarum cogitationum; quibus phantaſia ſine fulcro ligatur, & ad votum apprehenditur quod apprehenditur: etenim ex huiuſmodi apprehenſione prava purpuræ poteſtas nonnumquam tendit in ſubditorum lachrymas. Haud facilè ab errore etiam cognito revocari poſſunt: veritatem attramento perturbationis confundunt, ut evaginent gladium: igitur quod illi nec pili pendent, nec meritò ducent, in litis reducent formam, & contra propriam conſcientiam.

Cant. 7. 5.

Iſidor. Clar.

De aliſs averſis affirmat quod cogitant.

Ghiſler

Dicunt magni, quod nec pili.

16 *Ab immundo quid mundabitur? Et à mendace quid verum dicetur?* ait Siracides: *Quaſi qui apprehendit umbram & perſequitur ventum; ſic & qui attendit ad viſa mendacia.* Perpropriæ ſententiæ in demonſtrationem ſimulatæ potentiſsimæ malitiæ. Coloribus, varijſque facie & ſpecie, mendacium quibat apparere tinctum; ne videntibus appareret mendacium: at ita potentes impellit ira; ut veritatem dicant viſa mendacia, etiam ut mendacia viſa. *Perſequitur*, dicit, *ventum.* Inſinuatur bellum Pſyllorum, de quo egimus *Tom.* 5. *T.* 8. *n.* 19. 6. *T.* 4. *n.* 3. ex Aul. Gell. *lib.* 16. *cap.* 11. & Raviſ. Textor. In pugnam contra Auſtrum ordine militari profecti, tempeſtatibus flatus vehementioris ſunt ſuffocati; *lib.* 7. *Offic.* cap. 48. Haud aliter cognoſcentes mendacia viſa, ne

Eccl. 34. 1.

Vel mendacium cognoſcentes, non agnoſcunt ut mendacium.

Pugna Pſyllorum.

ne cognoſcantur mendacia: ventum enim perſequentur, licèt obruantur. Cum huiuſmodi malignitatis propoſito, umbræ tantùm corpus inapprehenſibile apprehenditur. Cur ad umbram, quæ quidem ſine corpore cognoſcitur? Quippe umbra, ex caligine nigredinis, mendacijs fotis: igitur totus ſcopus in obſcuritatem tetricam veritatis. Hinc David Numini clamat: *Reſtitue animam meam à malignitate eorum.* Genebrard. & Maluend. *Honorem meum.* Equidem erga detractam honoris famam, eſt omninò malignitas, & venditur uti veritas. *Reſtitue.* Ergo honor vel mendacijs, vitijs iam illorum malignitate evolavit: ideo cor pravum umbræ caliginem furenter apprehendit: propoſitum ergo, ut honorem malignitas tollat; quippe etiam mendacia cognoſcendo denigrat. Redivivus videtur Sylla, de quo Valer. Maxim. *lib. 9. cap. 3. n. 8. Convulſo pectore* (inquit) *ſpiritum cruore ac minis miſtum evomuit. Alita miſerijs reipubl. impotentia furens: igitur in dubio eſt; Syllàne prior, an iracundia Syllæ ſit extincta.* Unde igitur tot privilegia continuata abuſi honoris? Maxima nim peccandi illecebra, ſpes inconcuſſa impunitas: quapropter Terentius, d. v. 74. ait:

In famã alienam irrunt. — Pſal. 34. 17. — *Et malignit. tem vomunt.* — Valer. Max. — Terent.

Deteriores omnes licentià fiunt.
Non pudor, ubi non timor.

DIDASCALIA IV.

Dilationem operis qui amat, in opere cæſpitat.

1 CAnit Heſiodus in *Scuto Hercul.* v. 97. Minimè delectat quod vel peccator pœnitens facit, ſed quod feciſſe vellet: nihil enim illi in cordolium punget, atque negotium faceſſet in ſanitatem vulnerum; ſi quod faciendum, iam factum. *Venit hora & nunc eſt*: dicit noſtra Tautologia. *Veniet hora, & nunc eſt*: legitur ex Syro & Caietano. Venit quod veniet? Implicatio fit. Non eſt, quia quod veniet, etiam *Nunc.* Cognoſcit peccator indigere pœnitentià, ut fletu aboleantur crimina. In articulo mortis eſt omninò ſuſpicioſa; quippe neſcitur, an oriatur gemitus ex dolore mortis, vel ex horrore criminis. Veram de peccatis ipſis lachrymis exprimit pœnitudinem; qui fleverit ante mortem: & in pœnitentiam veram ſignatur præſens, quod futurum eſt; ut quod futurum, fiat nunc: etenim hora nunc in vera pœnitentia, antequàm venerit hora; quippequàm nunc fieri oportet, ut ſit factum exactè cùm hora venerit: nec in opere cæſpitet, qui quod faciendum in pericula differt: experietur itaque præcipitem, irrevocabilem ruinam, ſi non proſpexerit caveam; eritque ex dubijs lachrymis lachryma; ſi expectat ſocors donec fodiatur peccatori fovea. Dicit vel Epictetus *Enchirid.* Lect. 47.

Heſiod. — Ioan. 4. 23. — *Pœnitentia in articulo mortis ſuſpicioſa.*

Et omnium vita dilatione perit.

Epictet.

2 Obijcit pericula Monachorum Legiſlator. *Ideo nobis* (inquit *Prolog. Regul. S.*) *propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur: ne metuendus Dominus, irritatus malis noſtris, ut nequiſſimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.* Peccata conſcientiam nonnumquàm vellicant, atque vellicatu mordicant, qua punctione pharmacum læſus quærit; ſed frequenter in mores ratione damnatos natura recurrit, & delicijs, ſeu potiùs illecebris trahitur, atque ſpe temporis in damnationem traducitur, fluctuante inter extrema iudicio, ferè ſine libertate pravo dominante affectu; quo miſerè in mare vorticoſum lactatur, cognoſcendo periculum, ubi ſummergitur. Pugnam tunc rationis & voluptatis erga dubij confidentiam temporis, diaboli dolo, & exitu infauſto; ſignat vel Ethnicus *Satyr.* 5. à verſ. 151.

S. Benedict. — *Imò periculoſa.*

Vive memor lethi: fugit hora, hoc quod loquor, inde eſt.
En quid agis? Duplici in diverſum ſcinderis hamo:
Hunccine, an hunc ſequeris? Subeas alterius oportet
Ancipiti obſequio dominos, alternus oberres.
Nec tu cùm obſtiteris ſemel, inſtantique negaris
Parere imperio; Rupi iam vincula, dicas:
Nam & luctata canis nodum arripit. Aſt tamen illi
Cùm fugit à collo trahitur pars longà catenæ.
Cave, citò hoc credas; Iubeo; finire dolores
Præteritos meditor.

Perſius. — *Tergiverſatio ex conſuetudine & ſtimulis conſcientiæ.*

At quid ex huiuſmodi colloquio libido, & inolita conſuetudinis appetitus prævaricatio?

Indulge Genio, carpamus dulcia: noſtrum eſt
Quod vivis. Cinis & Manes & fabula fies.

Hæc ſuggerit vita præſens, fugax doloris, dum peccator teritur inter ſaxum & ſacrum

&

& odio & amore criminum; ſocordiàque monita prętermittit rationis, ut impetè cadat præceps, & tempus amiſſum miſerabilis cupiat, ac miſerabilior non inveniat, ſatagens emergere (quin fugiente tempore ſe poſſit effugere) ut valet; quippè vitiorum ſemina ſecum gerit: & dum expectat adhuc, quòd tempus, tempus ſit, venit & repentè nox. Venit igitur nox abſque ulla luce, quando nemo poteſt operari.

Tempus peccator quod habet deſpicit: atque non futurum cupit.

3 Petijt famelicus Aſſertor N. è ficulnea ficus, ut refocillaretur anima, at non ſunt ficus in ficulnea, licèt promitteret fructum, pompoſitate foliorum. Unde iratus ait: *Numquam ex te fructus naſcatur.* Ita factum. De alia ficu ſterili iudicium in eradicationem fit, & cultoris precibus, vel ſterilis, ſtat; & prætermittitur, quia expectat, quod dato tempore fructum faciat. Duplex hiccine ficulneæ articulus deſignat in pravis ſterilitatem virtutam, & impœnitentiam criminum; quam ob cauſam de illis monet Chriſtus agere pœnitentiam: v. 5. Hic Iſidor. Peluſiota, *lib. 3. Epiſt.* 7. ſubdit: *Conſervare ficum, cum alteran maledixit, rigorem ſonat.* Tribuere tempus, ut poſsit ferre fructus, in quo pietas floret maxima, eſt iudicis iracundia; cùm ille alius creditori dixerit, alieno gravatus ære: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi?* Hac utique & non alia cauſa, ſterilitatis conſummatà impœnitentia: igitur exactor patientiam in debitorum ſolutionem habuit, & debitor impœnitens nihil reddidit. Ficum Chriſtus à longè vidit & eius folia; venitque, *ſiquid forte inveneret in ea.* In ea ſi quid, nec quid eſt. Aliquid ſi fortè quæſivit, ſed nihil invenit: ficumque ingratam vi dex iuſtus arefacit; quia habuit tempus præ foliorum pompa ad vanitatem vitæ, ſed nequaquàm in fructum penitentiæ.

Matth. 21. 19. — Luc. 3. à 6. — *In pœnitentiam relaxatio temporis, ſignũ quandoque rigoris.* — Iſid. Peluſ. — Matth. 18. 16. — Marc. 11. 13.

4 Ulteriùs. Non vult iudex mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & converſione vivat. Hinc quotidie criminum pœnitentiam expectat: expectandoque, ac ficum ſervando ficum rigore punivit; quia expectatione nil reddidit, portito tempore in fructum, ad vanitatem viridantium foliorum: igitur nec fructum, nec quid pertulit; cùm ſociam ficulneam eadem causà arefactam vidiſſet. Rigor irruit in temporis crediti abuſum: & quod clementiæ in ſupplicium fuit converſum, excludentis ad iuſtitiam divinam, omninò miſericordiam; quia ad damnationem iuſtificaverat cauſam. Dum alteram maledixit, in alterius conſervationem rigorem oſtendit. Fuit reſervata, ut ageretur ſterilitatis pœnitentia. Nihil protulit, nihil in utilitatem pertulit: expertaque eſt ſeveram auſteritatem, à quo receperat in fructum conſervationem; quippe ſtatus prioris nulla fuit facta converſio, etiam in exemplum alterius viſo ſupplicio. Denique. Non in vanum objicitur ficcum articulus, ſed, quia hora eſt, ut in frugem peccatoris redeat pectus. Hic expectat mortis articulum, quo non eſt tempus ficorum. Iudex quærit, verùm ficus nihil habet, ut peccator reſipiſcat, antequàm mors prævià ægritudine adveniat: igitur ficus animæ in criminum pœnitentiam fructificare non valet, dum defectu vitæ areſcit. Si hoc tempus in pœnitudinem à peccatore expectatur; numquàm fructus radice cordis naſcetur: etenim plerumque pœnitet, quippe circumdederunt dolores mortis, nequàquam cruciatus criminis. Quia non huius odium, de dolore propter mortem concepto, ſenſim irrepit faſtidium: placetque iterùm quod diſplicuit, ſi periculum mortis vita forſitan evaſit. *Supereſt* (inquit Plin. *lib. 7. Epiſt.* 10.) *ne rurſus, quod damnaſſe dicitur, placeat: agatque pœnitentiam pœnitentiæ ſuæ.* Fallitur temporis confidentià, ſimulque doloris criminis larvà; quaſi facere nonnumquàm poſsit, quod ſemel fecit: perperamque poterit facere, cuius pœnituit feciſſe. Mala ergo in dilatione fiducia, quia non pœnitentiæ inducitur pœnitentia. Appoſitè Mantuanus, de *Acedia*, v. 35. ſuccinit:

Deſet ubi fructum expectat, nullum capiat. — *Etiam viſo in alterum ſupplicio nulla converſio.* — Plin.

Huic geminæ comites Spes & Matanœa, doloris
Conſcia perpetui.

Mãtuan.

5 Sumitur ex fructu ventris metaphora & aptè, ad agendos fructus dignos pœnitentiæ; ne pœnitentia ſint digni, qui addicti criminum ſatisfactioni: ampliuſque tempus vel in dolore deſideret error; ut denuò plangatur ex vulnere dolor. Saram apud virum commendaverat pulchritudinis decus, ſed ſterilis erat, nec habebat liberos; habitura tamen, ut promiſerat Dominus. Et illa & Abraham erga fructum deſponderant animum. Erant enim ambo ſenes, provectæque ætatis. Unde Deus viro faveret, ſpemque abolitam pectore reciperet, illi dixit: *Tempore iſto vita comite, habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara riſit.* Si ipſa ſe riſit, quis crederet? Tandem, tandem *concepit & peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus::. dixitque Sara: Riſum fecit mihi Deus. Quicumque audierit, corridebit mihi. Quis auditurus, crederet?* En articulus illorum, qui criminum pœnitudinis protrahunt fructum uſque in ſenectam & ſenium: equidem etſi

Geneſ. 18. 10. — Ibid. c. 21. à 1. — *Vel qui fructum captat, de fructu dubitat.*

amen-